SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

XXXIX.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

AD USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE

XXXIX.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.

S. Theol. et Philos. Doctor, ejusdemque s. Theol. in C. R. Univers. Oenipont. Professor p. o.

Cum Approbatione Celsissimi et Reverendissimi Episcopi Brixinensis et Facultate Superiorum.

OENIPONTI.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA

1879.

SCRIPTORUM VETERUM

DE

EUCHARISTIA

OPUSCULA SELECTA.

CLERICS LIBRARY
THEOLOGIANS
O. F. M.
PROV. S. BARBARAE

LONDINI
apud David Nutt.

PARISIIS
apud P. Lethielleux.

MEDIOLANI
apud Boniardi-Pogliani.

NEO-EBORACI ET CINCINNATI
Fr. Pustet.

OENIPONTI. TYPIS WAGNERIANIS

#979

TRACTATUS DE VERITATE CORPORIS CHRISTI

GREGORII EPISCOPI BERGOMENSIS [1]).

Prologus auctoris.

Deliberanti mihi secundum Jeremiae vatis exemplum (Thren. 3, 28), in solitudine

[1]) Libellum hunc pulcherrimum a Mabillonio jam laudatum primus edidit doctissimus Petrus Antonius Uccelli in op. *Scritti inediti del b. Gregorio Barbarigo Cardinale e Vescovo di Bergamo, poi di Padua* Parma 1877. pag. 673—745, sed ea editio, quod dolendum est admodum mendosa. Plura menda ob codd. mss. defectum ex conjectura corrigere nisi sumus, quas emendationes suis locis innuimus. Cum autem opusculum hoc inter scripta contra berengarianam haeresim plane emineat praestantissimisque de hoc argumento propter disserendi acumen expositionisque perspicuitatem accensendum sit, illud in studiosorum theologiae notitiam perferre statuimus. Gregorius autem noster patria fuit bergomas, professione vallumbrosani ordinis, dein patriae urbis episcopus electus 1133. et impiorum gladio 19. Jun. 1146. peremptus. Libelli scopum ex auctoris prologo discere potes.

mentis sedendo tacere, ut possem Domino spiritualiter sabbatizare, repente supervenerunt alienigenae regis adversarii, quibus cogor aut silentii mei sabbatum rumpere, aut mortis discrimen indubitatum subire. Sic quippe legimus in veteribus et ecclesiasticis libris (1. Machab. 2, 32. et 41), quod in diebus quondam sabbatorum, instantibus graviter alienigenis, compulsi sunt israelitae aut resistendo violare sabbatum, aut negligendo mortis suscipere jugulum. Itaque et mihi aut insurgentibus inimicis pugnaciter est resistendum, aut eis praevalentibus infeliciter est moriendum. *Audivi enim*, sicut ait propheta (Jerem. 20, 10), *contumelias multorum et terrorem in circuitu.* Et quod profecto deterius est, omnes velut inermes tacendo cedere, nec esse qui armis divinis munitus, errantibus et in errorem trahentibus velit obsistere. Loquor autem de novis hujus temporis berengarianis, qui haeresim Berengarii ab Ecclesia catholica jamdudum convictam atque damnatam resuscitare conantes, de sacramento altaris omnem veritatem penitus auferre, et in significationem [1]) tan-

---

[1]) *In significationem* i. e. in signum, memoriam; panem scil. et vinum dici corpus et sanguinem Chri-

tum Redemptoris corpus et sanguinem geri, dogmatizare praesumunt. Contra horum profanas assertiones falsique nominis oppositiones hoc opusculum decrevi componere, agens de his non secundum dignitatem sacrarum rerum, de quibus agitur, sed juxta modicitatem virium, quas mihi contulit omnipotens Dominus. In quo videlicet et primitus et maxima cura fuit, attendere ut sequens super omnia traditionis ecclesiasticae fidem, in nullo prorsus a sanctorum patrum sententiis deviarem. Verum haec omnia, quae hujus serie continentur libelli, vestri arbitrii, venerande Christi praesul Omberte [1]), vel probanda vel improbanda committo examini, jam decenter expertus fidem atque industriam pontificalis animi vestri.

CAPUT I.

Quod Deus immensus sit, et quod nunc ex parte tantum agnoscimus.

Res quidem non parum difficilis est quam aggredior, de ineffabilibus scilicet famina

---

sti, quatenus significant tantum corpus et sanguinem Christi.

[1]) *Praesul Omberte.* Ombertus iste secundum Mabillonium *annal. benedict.* t. 6. p. 237. ad a. 1184. non alius esse videtur ab Omberto cre-

promere, et inexplicabiles sacramentorum coelestium rationes literis explicare. Verum quia secundum divinae Scripturae testimonium, Dei virtutem et Dei sapientiam esse cognovimus Christum, et virtuti nihil est arduum nihilque sapientiae incognitum, de ejus omnipotenti misericordia confisus, ad ipsum spe certa converto meipsum, cui sunt prorsus ad efficiendum facilia, quaecunque sunt hominibus ad intelligendum impossibilia. Etenim, quia dicit s. Apostolus (Phil. 4, 13): *Omnia possum in eo, qui me confortat*, patet profecto, quod omnipotens Dei virtus sibi fideliter adhaerentes secundum quendam modum efficit omnipotentes, sicut eadem Dei sapientia sibi humiliter participantes sublimiter instituit sapientes. Denique hic ipse est, quem cum Patre et sancto Spiritu unum immensum Deum catholica profitetur Ecclesia. Quod propterea, sicut a majoribus ostensum est, verum esse creditur et praedicatur, quoniam qualis ac quantus sit, nullius intellectu comprehenditur. Est autem immensus et incomprehensibilis

---

monensi episcopo; sed posset etiam esse Ombertus archiepiscopus mediolanensis, qui eodem tempore floruit.

non solum in seipso, sed etiam in opere suo. Nec tantum in opere, quod facit, verum et in ipso modo, quo facit, immensus et incomprehensibilis nobis existit. Proinde in Scriptura divinitus inspirata veridica de Deo profertur sententia (Job. 5, 8): *Ad Deum ponam eloquium meum, qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero*; quo sane capitulo, cum non praeteriti sed praesentis temporis verbum ponitur, illud nihilominus evidentissime declaratur, quod non solum dudum in conditione creatae universitatis, sed etiam nunc in dispositione mundani status, nec non in dispensatione salutis humanae magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero operetur assidue. Horum igitur contemplatione opus est cujuscunque scientiae homines suarum virium meminisse, ne aut immensum velint ad mensuram humanae capacitatis attrahere, aut incomprehensibilem divinae operationis altitudinem ingenii sui praesumant terminis coarctare. In rerum siquidem divinarum excellentia haec a nobis reverenter est observanda cautela, ut propriam veraciter cognoscentes ignorantiam, omnipotentiae demus Creatoris, quidquid metas excedit nostrae capacitatis. Intuere quomodo doctor ille gen-

tium in fide et veritate Apostolus Paulus, qui usque ad tertium coelum raptus est, et auditis arcanis verbis coelestia fuerat secreta rimatus, suae quandam scientiae imperfectionem humiliter non solum cognoscere, sed etiam scriptis propriis patefacere voluit. *Fratres*, inquit (Philipp. 3, 13), *ego me non arbitror comprehendisse;* et iterum (Ibid. v. 12): *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim;* et (1. Cor. 9, 13): *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus. Et nunc cognosco ex parte.* Porro isti, contra quos agimus, haereticae sine dubio pravitatis impudentissimi assertores, non intelligentes, neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant, Apostolo Paulo se volunt doctiores ostendere, quia non ex *parte* sicut ipse, sed ex toto se videri cupiunt omnia comprehendisse. An non conantur monstrare ex toto se omnia comprehendisse, dum ea, quae intellectu non valent assequi, nituntur affirmare nulla exsistere? Nempe si secundum apostolicam formam, non ex toto, sed ex parte se crederent de divinis sacramentis quaedam cognoscere, faterentur utique superesse aliqua quae nescirent, et aut ignorata ostendi sibi a majoribus humiliter quaererent, seu certe, quae intelligere non vale-

rent, consideratione humanae conditionis fideliter in ecclesiastica pace tenerent. Quod quia vana scientia inflati facere detrectant, contingit miseris, ut de sacrosancta eucharistia altaris dominici evangelicae atque apostolicae fidei contraria sentiant. Dicentes substantias illas, scilicet panem et vinum, quae ponuntur in altari, per sacerdotale ministerium post consecrationem sicut priorem speciem, ita etiam priorem essentiam immutabiliter retentare, nec verum corpus nec verum sanguinem Christi, sed quarundam rerum sacramenta tantummodo esse. Quoniam autem hujusmodi dogma fides omnino respuit orthodoxa, praesumens ego de adjutorio Dei, insanas atque profanas assertiones eorum in hoc opere refellendas suscepi, non (quod absit) versutiis syllogismorum, sed divinorum fultus suffragiis eloquiorum. In quo videlicet negotio talis a me non incongrue servabitur ordo, ut primo deductis in medium quibus innituntur sententiis, quantum a doctrina veritatis dissentiant, claris responsionibus doceam, ac demum remotis, quae fuerint removenda, veritatem dominici corporis et sanguinis sacris allegationibus adstruam. Tunc namque satis utiliter atque salubriter valebimus in agris cordi-

um veritatis semina spargere si studii nostri fuerit errorum spinas radicitus in primis evellere.

CAPUT II.

De eo quod dictum est: *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis.*

Illud, ut opinor, validum et velut inexpugnabile putant erroris sui propugnaculum, quod ante passionis suae triumphum Dominus ad discipulos suos locutus est dicens (Matth. 26, 11): *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis* (Vulg. *habetis*). Hoc enim prolato testimonio sic prosequuntur: Quomodo Christum nunc etiam, post ejus scilicet ascensionem, non habemus, si juxta nostram sententiam verum corpus ejus verumque sanguinem supra dominicam mensam essentialiter tractamus ac sumimus? Nec etiam verum erit quod Veritas dicit: *Me autem non semper habebitis.* Sed non poterit esse nisi verum, quod Veritas dicit; falsum ergo est quod asseritis, qui Christi corpus non solum mystice, sed etiam vere in altari vos manducare jactatis. In his adversarii veritatis exsultant, qui dum de verbis Veritatis incaute disputant, non alii,

quam ipsi Veritati repugnant. Vide quam letali morbo laborent, qui de medicina languescunt, ac de luce veritatis mendaciorum tenebras sibi confingunt. Siquidem de istiusmodi hominibus in libro b. Job (5, 14) scriptum est: *Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte sic palpabunt in meridie.* At licet nesciant, licet non intelligant, utpote qui in tenebris ambulant, velim tamen eos illum quem clausum tenent oculum aperire, ut aperto utroque oculo, sicut respiciunt ad id quod dictum est, *me autem non semper habebitis*, ita nihilominus intendant ad illud, quod idem Salvator promittit dicens (Matth. 28, 20): *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Quod si pie dignarentur advertere, scirent procul dubio, quia nunc etiam post suam ascensionem Christum veraciter habemus, quem usque ad consummationem seculi nobiscum manentem ex illius promissione tenemus. Sed fortasse dicturi sunt, illud quidem dictum esse de praesentia corporali, secundum quam Christum jam non habemus, hoc vero de praesentia Deitatis, secundum quam illum nobiscum manentem habemus. Hoc sane recte dicerent, si de praesentia corporali ca-

lumnias struere vellent [1]). Nulla autem ratio prohibet, ut per illud quod dictum est: *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, intelligamus eum nobiscum esse et per incircumscriptam praesentiam divinae majestatis suae, et per salutarem escam verae et unicae carnis suae. Sed ut sufficienti responsione horum calumnias ac fallacias confutemus, quid post resurrectionem suam Dominus et Salvator discipulis apparens dixerit, recordemur. *Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum* (Luc. 24, 44). Etenim quod ait: *Cum adhuc essem vobiscum*, jam se cum ipsis non esse ostendit. Sed numquid cum ipsis non erat, quibus corporaliter apparebat? Quid ad haec isti, rogo, dicturi sunt? An forte cum ipsis erat, et cum ipsis non erat? profecto ita est. Cum ipsis namque erat, quibus corporaliter praesens erat, sed tantum jam cum ipsis esse se denegat, a quorum mortali corpore sua jam immortalitate longe distabat. Quod si ita est, imo quia ita est, redeant ad se isti, dis-

---

[1]) Videtur nobis supplenda particula negans *non*, proinde legendum: „si *non* de praesentia corporali calumnia struere vellent.“

cant discernere sensum modumque sacri eloquii. Nam sicut Dominus Jesus cum discipulis erat, et tamen cum ipsis juxta aliquid non erat; ita nimirum eundem Christum veraciter habemus, et secundum aliquid non habemus. Quia videlicet et ipsum indubitanter habemus per esum veri corporis potumque veri sanguinis sui, et eundem ipsum jam non habemus in colloquio, in visione corporali, neque in convictu et conversatione communi. Verum ne forte existimer auctoritate propria haec protulisse, verba s. patris Augustini debemus ad medium deducere, ut quantum a recto tramite isti devient, confusi possint inspicere. Cum enim in expositione Evangelii secundum Joannem ad hoc ventum esset, ut de eo, quod dictum est: *pauperes semper* etc. tractando dissereret, et locum ipsum dominici sermonis multiplici ratione, more suo, revolveret, inter cetera sic testatus est dicens (tract. 50. n. 12.): „Habemus in praesenti Christum per fidem, habemus per baptismum, habemus per signum, habemus denique per altaris cibum ac potum.“ Ecce quod hi procaciter negant, hic firmiter asseverat, habere nos scilicet Christum per altaris cibum et potum. Porro per hoc sacrosanctum Christi corporis edulium

et modo Christum nos habere dicimus, qui etiam, si religiose, si catholice sapimus, ipsum nos Christum comedere profitemur. Denique Christus Dominus sic ait (Jo. 6, 57): *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum in me manet et ego in eo* (vulg. *in illo*). Sic etiam pariter attestatur: *Qui manducat me, ipse vivet propter me* (v. 58). Igitur quia patenter, ut reor, expressum est, quomodo Salvator habeatur, a nobis, etiam quomodo non habeatur, per omnia constat verum esse quod Veritas dixit, et quod universalis ejus Ecclesia de sacro ejusdem corpore credit; falsum autem quod ille mendax et mendacii pater diabolus contra communem fidem per istorum ora tamquam per organa sua depromit.

CAPUT III.

De eo quod dicitur: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Solent praeterea ad roborandam suae partis vecordiam, verbum illud assumere, quod in Evangelio Dominus, cum sui corporis et sanguinis vitalia alimenta discipulis traderet, legitur dixisse: *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc 22, 19). Pro eo enim

quod non ait: *hoc facite* in mei corporis et sanguinis veritatem, sed tantum *commemorationem*, volunt dominici corporis et sanguinis excludere veritatem. Quibus e diverso nos respondemus. Quia sicut non ait: hoc facite in mei corporis veritatem, ita non ait, hoc facite in mei corporis praefigurationem, vel significationem. Ac per hoc cum de utroque tacere voluit, nec praefigurationem induxit, nec veritatem exclusit. Quapropter humiliato et pacato sensu quaerendum videtur, in qua potissimum re super dominicam mensam Christi commemoratio celebretur. Hoc vero non arbitror clarius aut verius posse nobis exponi, quam testimonio Apostoli Pauli. Is namque cum corinthiis coenae dominicae instituta contraderet, ipsa Domini verba posuit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem* (1. Cor. 11, 24). Ac de hoc, porrigens calicem, rursus adjecit dicens: *Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem.* Continuoque velut insinuans sermonis hujus intelligentiam, subintulit dicens: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Ecce quaerentibus nobis liquido patefactum est, quomodo sacri corporis et sanguinis celebrita-

tem in Christi commemorationem faciamus. Quia videlicet manducantes panem hunc et calicem bibentes, mortem Domini per mysterium annunciamus. Neque enim diffiteri poterit quisquam, nisi fuerit insanissimus, tunc veraciter Christi memoriam agimus, cum ea, quae circa ipsum pro nostra redemptione gesta sunt, ex ipsius institutione venerando recolimus. Sacra quoque, quae in altari geruntur, dominicae passionis esse mortisque mysteria, nemo prorsus dubitare poterit, in quo fuerit vel modica divinae religionis scientia. Testatur hoc sanctus et apostolicus vir papa Gregorius in lib. *Dialog.* ita dicens (l. 4. c. 58): „Haec namque singularis victima ab aeterno interitu animam salvat, quae illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat.“ Item in eodem *Dialogo* (c. 59): „Qui passionis, inquit, dominicae mysteria celebramus, debemus imitari quod colimus“. Sacer nihilominus Ambrosius ad Gratianum (*de fide ad Gratianum* l. 4. c. 5): „Nos autem quotiescunque sacramenta sumimus, quae per sacrae orationis mysterium transfigurantur in carnem et sanguinem, mortem Domini annunciamus.“ Sane quod dictum est, *donec veniat*, non ad mortem Domini, sed ad ipsum Dominum de-

bere referri sciendum est. In hoc itaque mysterio mortem Domini annunciamus, donec veniat ipse utique Dominus, quando in fine seculi hujus, provectis ad suam speciem, id est ad manifestam sui visionem, electis omnibus, nunc interim per fidem ambulantibus, mysteria cuncta, quae temporaliter peraguntur, necessario terminum habitura creduntur.

CAPUT IV.

De eo quod dicitur: *Christus resurgens a mortuis jam non moritur.*

Alioquin non recte, quod absit, dictum videretur, quia *Christus resurgens a mortuis jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur* (Rom. 6, 9). Et in epistola ad Heb. (9, 26): *Nunc autem*, inquit, *semel in consummatione seculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.* Iterumque post aliqua (v. 28): *Christus semel oblatus est ad multorum exhauriendapeccata.* Ne ergo ab apostolica veritate videamur in aliquo deviare, oportet proculdubio scire, quia sicut in libro homil. affirmat Gregorius (*hom. in Evang.* l. 2. h. 37): „Singulariter namque ad absolutionem nostram, oblata cum lacrymis et benignitate

mentis, sacri altaris hostia suffragatur: quia is qui in se resurgens a mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suae passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus.“ Idem s. Gregorius (*Dialog.* lib. 4. c. 58): „Debemus itaque praesens seculum vel quia jam conspicimus defluxisse, tota mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis eius et sanguinis hostias immolare. Haec namque singulariter victima ab aeterno interitu animam salvat, quae illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur; tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur.“ Verumtamen in hoc quod de mysteriis agimus, nullam inimicis veritatis occasionem contra christianam fidem solito garriendi provenire permittimus. Siquidem in eisdem dominicae passionis mortisque mysteriis corde credimus ad justitiam, ore confitemur ad salutem, panem et vinum altaris per solemnem sacerdotalis officii consecrationem, virtute

omnipotentis Verbi et ineffabili sanctificatione Spiritus sancti in verum Christi corpus verumque sanguinem transformari, ac digne sumentium ore ad remedium percipi, Christo, qui semel oblatus (est) jam non moritur, in coelestibus integro atque illaeso permanente modisque omnibus inviolabile. Sed haec illi incomprehensibilia fatebuntur. Quid igitur? Nonne secundum apostolicam disciplinam: *Quod non videmus speramus* (Rom. 8, 25)? Sic igitur christiana pietate edocti credimus, quod ratione minime comprehendimus. Quocirca ut illud quod dictum est *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* distinctius adhuc prosequamur, eundem ipsum, quem Apostolo teste, semel oblatum audivimus, in quotidiano altaris sacrificio nunc iterum pro nobis offerri veraciter invenimus; nam si spectes illam oblationem, qua per mortem crucis, persequentibus scilicet judaeis, sponte tamen Patri pro nobis oblatus est, semel dumtaxat ad multorum exhaurienda peccata ipse oblatus est. Jam enim circa nostrum altare non consistunt profani judaei, qui adhuc in Christi necem crudeliter debacchentur, sed assistunt sacerdotes christiani, qui in Christi commemorationem passionis mortisque ejus

mysteria celebrando fideliter venerentur. Proinde singularis illius oblationis mysterium vel sacramentum est quotidianum hoc Ecclesiae sacrificium. Hinc nimirum illud est, quod s. antistes Augustinus in lib. 10. *de civ. Dei* c. 20: „Per hoc et sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio. Cujus rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae sacrificium, cum ipsius ipse sit caput et ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum quam ipse per ipsam suetus offerri.“ Haec ille. Ceterum si attendas id, quod de ratione corporis dominici firmissime tenet diffusa per orbem Ecclesia Christi, perspicue nosse valebis, quia non solum mystice, sed etiam vere nunc iterum Christus offertur, dum verum corpus ejus, non tantum sacramentaliter, sed etiam essentialiter [1]) in hoc quotidiano christianorum sacrificio pro nobis offertur. De hoc quoque memoratus pater Augustinus in lib. 17. c. 20 *de civitate Dei* ex verbis Psalmographi testatur dicens: „*Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi* (Ps. 39, 6), quia pro illis omnibus sacrificiis corpus Christi offer-

[1]) *Essentialiter*, quatenus in eucharistia est ipsa essentia seu substantia corporis Christi.

tur et participantibus ministratur.“ Haec ille. Valet autem nunc etiam Salvator oblatus ad abolenda multorum peccata, si tamen mortifera non fuerint communicantium ipsa peccata.

CAPUT V.

De eo quod dicitur: *Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam.*

Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam (Jo. 6, 64). Ex his Domini verbis materiam sumunt rectae fidei adversarii, contra nos pertinaciter altercandi, ita quaerentes: Quomodo credibile poterit esse, quia Redemptor noster carnem suam veraciter instituerit manducandam, cum juxta ejus sententiam, caro non prosit quidquam? Stulta plane quaestio et indigna prorsus auditu christiano. Verum de hujusmodi secundum Apostoli sermonem (Rom. 1, 22) dici potest, quia *dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt.* At licet Apostolus nos moneat stultos et sine disciplina quaestiones debere vitare, ad instructionem tamen simplicium, qui talibus facile cedunt, istiusmodi studebimus ineptiis respondere. Interrogemus ergo eos, utrum de omni spiritu dictum sentiant: *Spiritus est qui vivificat.* Quod si

forte dixerint de omni spiritu dictum constare, videndum est, an vivificet ille spiritus immundus, qui attestante Veritate, de homine egressus, ac deinde regressus, fecit illius novissima pejora prioribus? Qua de re, si evangelica auctoritate coacti, non de omni spiritu dictum responderint, necessario quoque concedent, quia nec de omni carne dictum est: *Caro non prodest quidquam.* Ita enim nec de omni scientia sentiendum est (1. Cor. 8, 1): *Scientia inflat:* nec de omni litera dictum est: *Litera occidit* (2. Cor. 3, 6). Quoniam est scientia, quae caritate condita non inflat, et est litera, quae spiritu vegetata non occidit, sed vivificat. Alioqui mortiferae videbuntur illae literae, quibus conficiuntur Scripturae, ad quos Dominus invitabat quosdam ita dicens: *Scrutamini Scripturas*[1] *in quibus vos putatis vitam habere: et illae sunt quae testimonium perhibent de me* (Jo. 5, 39). Sed nec illae literae dici poterunt salutares, de quibus dilectum discipulum hortabatur Apostolus dicens: *Quia ab infantia sacras literas nosti, quae te possunt instituere ad salutem per fidem, quae est in Christo Jesu* (2. Tim. 3, 15).

---

[1]) Vulg. *quia vos putatis in ipsis vitam habere.*

Sunt autem utiles et vitales hae literae, quas Apostolus dicit posse hominem ad salutem instituere, sicut illae Scripturae, quae testimonium perhibent de Salvatore. Ergo non omnis litera occidit, quomodo nec omnis caro inutilis erit. Incomparabiliter certe profuit nobis caro Christi, quae data legitur pro salute mundi. *Panis*, inquit Salvator, *quem ego dedero*, *caro mea est pro mundi vita* (Jo. 6, 52). Magnifice, inquit, caro Christi profuit, quae in redemptionem nostram pro mundi vita pretium fuit. Denique tunc non solum profuit ad redemptionem nostram in ara crucis oblata; sed et quotidie prodest ad ablutionem nostram de mensa altaris rite percepta. Verumtamen eadem Christi caro tam salutaris, tamque deifica carnaliter de se sentientibus quidquam non prodest, quod luce clarius patefecit Augustinus in hom. ejusdem Evangel. (Tract. 27. c. 6), ipsa Domini verba exponendo dicens: „Quid est ergo: *non prodest quicquam*? Caro non prodest quicquam, sicut illi intellexerunt. Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.“ Hactenus ille. Porro verba, quae locutus est nobis Dominus Jesus, quemadmodum

ipsemet testatur (Ibid.), *spiritus et vita sunt.* Quod si verba Veritatis Spiritus et vita sunt, spiritualiter utique sunt intelligenda. Si igitur sensus tuus spiritualis fuerit, et spiritualibus spiritualia comparans verba Domini spiritualiter intellexit, spiritus te vivificat. Sin intellectus tibi carnalis fuerit et secundum carnem sapiens, de verbis spiritualibus, sive de ipsa carne Christi indignum quid senserit, non tantum ausim dicere, minime prodest, verum etiam plurimum obest. Discernat itaque per haec lectoris prudentia, quae caro prosit, quaeque non prosit. Atque omnino advertat, ipsam aliquando quae sublimiter prodest, quibusdam ex ipsorum vitio nullatenus prodesse.

CAPUT VI.

De eo quod dicitur: *Etsi noveramus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.*

Etsi noveramus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus (2. Cor. 5, 16). Ex hac Apostoli sententia falsiloquis nostris occasio suboritur controversiae, quibus cordi magis est verborum pugnas conserere, quam ea, quae nesciunt, a majo-

ribus humiliter discere. Apostolus, in quo Christi est veritas, ita testatur dicens: *Etsi noveramus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus*, ut subintelligas secundum carnem. Quomodo igitur Apostolus cum suis coapostolis non noverat Christum secundum carnem, si sensualiter veram Christi se credebat comedere carnem? Negat autem is se suosque coapostolos nosse jam Christum secundum carnem, ex quo apparet, ut non intelligerent nisi sacramentaliter se Christi carnem sumere. Haec sunt adversariorum verba. Puto autem ego istos non immerito in 2. Petri epistola convenienti satis notatos cauterio, ubi de verbis apostoli Pauli scribit in hunc modum: *Sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis; sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem* (3, 15). Haec isti facere modis omnibus deprehenduntur, quippe qui divinas apostolicasque Scripturas intellectu pravo nequiter depravantes, quae de aliis dicuntur, ad propriae sectae nenias fulciendas perversissime retorquere nituntur.

Imitantur siquidem illum, qui transfigurat se in angelum lucis, cum merito suae nequitiae tenebris sit perpetuis circumfusus, quem etiam novimus Scripturae sacrae abusum testimonio, dum perpetrare illicita tentata Domino suaderet [1]). Attamen non se arbitrentur recta sanctorum dicta impune pervertere, cum veritas per apostolum Petrum ad suam ipsorum perditionem illos hoc agere testetur. Sed revertamur unde digressi sumus. Quid ad haec responsuri sumus? Et quidem sufficere poterat ad nostram solutionem et ad istorum confusionem [2]), si respondeamus, non negare Paulum se comedere Christi carnem, sed se nosse Christum secundum carnem. Neque enim ait, non comedimus Christi carnem, at *non novimus Christum secundum carnem.* Aliud est autem nosse, aliud comesse. Denique plures in carne et secundum carnem novimus, quarum tamen, quia nefas foret, carnes nequaquam comedimus. Digna haec risu sunt. Postremo ut concedamus eis, hoc esse Christum nosse secundum carnem quod est man-

---

[1]) Hoc pulcherrime ostendit Vincentius lerinensis in suo commonitorio c. 26. *opusc.* IX, 226, ss.

[2]) Cod. conclusionem.

ducare Christi carnem, ostendant, si possunt, quomodo apostoli carnem Christi se veraciter comedere crediderunt, et postmodum velut ab errore revocati ac poenitentia ducti id facere destitere. Utrumque enim retulit Apostolus ita dicens: *Et si cognovimus, jam non novimus.* Quod cum nequiverint explicare, etsi inviti, fateantur necesse est hunc Apostoli sermonem ad rationes eucharistiae nullo modo pertinere. Quod utique satis evidenter addiscere potuissent, si loci hujus praecedentia paucis attendere voluissent. Nam cum praemisisset Apostolus: *Qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit*; mox addit dicens: *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem; et si cognovimus secundum carnem Christum, sed jam nunc non novimus* (2. Cor. 5, 16). Ubi cum neminem secundum carnem se nosse prius asseruit, patenter edocuit, quia de Christi carne sumenda nihil ibi specialiter dixit. Denique sanctae memoriae praesul Augustinus in opere, quod *de doctrina christiana* inscribitur (lib. 1. c. 34), hoc quidem de Apostolo quod objiciunt testimonium protulit, sed nullam prorsus eucharistiae fecit mentionem. Nec facile poterit ullus de patribus inveniri,

qui talia sensisse noscatur; qnapropter si a nobis de sensu capituli hujus aliquid perstringendum est, liquet quod idem Apostolus Paulus in suis epistolis non semel secundum spiritum, et non secundum carnem praedicat ambulandum. *Nihil enim* [1]), inquit, *damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant* (Rom. 8, 1). Et iterum de quibusdam (v. 4), *qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum.* Et rursus (v. 9): *Vos*, inquit, *non estis in carne, sed in spiritu.* Unde et alibi (v. 12): *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus: si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Itaque sicut ambulare seu vivere secundum carnem, ita etiam pariter nosse aliquem secundum carnem non parvae culpae est. Nosse vero ipsum Christum secundum carnem, infirmitatis est. Quia igitur apostolus Paulus suique similes de pristina mentis infirmitate roborati per spiritum convaluerant, et solidioris jam fidei vitaeque perfectioris culmen attigerant, agite congratulantes dicebant: *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem; et si cog-*

---

[1]) Vulg. *ergo.*

novimus secundum carnem Christum, quando nihil sciebamus, nisi *Christum Jesum et hunc crucifixum*, cum in fide ejus essemus fragiles et invalidi. Sed jam nunc non novimus secundum carnem, cum vegetante nos Spiritu Sancto de carnalibus sumus spirituales effecti. Sapere enim secundum carnem, mors est; sapere secundum spiritum vita et pax. Porro quid sit secundum carnem ac secundum spiritum ambulare vel vivere, non est praesentis intentionis disserere, ideo de hoc satis.

CAPUT VII.

De eo quod Ambrosius ait: „Sicut enim similitudinem mortis Christi sumpsisti, ita etiam similitudinem sacri sanguinis bibis.“

Deficientibus adversariorum calumniis ex evangelica, nec non apostolica Scriptura satis impudenter confictis, ad catholicos divini eloquii tractatores tandem se conferunt, et ex eis, quas non intelligunt, sententiis ipsorum nostrae fidei firmitatem oppugnare contendunt. Quale est illud beati Ambrosii in libro *de sacramentis* (lib. 4. c. 4. n. 20): „Sicut enim similitudinem mortis Christi sumpsisti, ita etiam similitudinem sacri sanguinis bibis.“ Haec isti verba proponentes,

talia prosequuntur. Quid comparatius, quid inveniri potest similius? Constat plane, nec dubium est, ipsum altaris sacramento comparasse baptismum; non est autem vera Christi mors in baptismo; ergo nec verus ejus sanguis in hoc sacramento. Haec illis taliter proponentibus ac concludentibus nos quaedam concedimus, quaedam non concedimus. Altaris sacramento baptismi sacramentum comparari concedimus. In utroque autem sacramento esse omnia ex toto similia, modis omnibus negamus. Nam ex apostolicis verbis Christus et Adam invicem comparantur, in quibus tamen non nulla dissimilia esse non solum, verum etiam contraria demonstrantur. Est enim per Adam mors, per Christum vero resurrectio mortuorum. Unde et in his sacramentis propter similitudinem mortis Christi, quam pariter ambo praeseferunt, recte est comparatio. Sed in altaris sacramento dominici sanguinis valde habetur similitudo. Ea propter, etsi constet beatum Ambrosium baptismum eucharistiae comparasse, non tamen e vestigio sequitur: vera mors Christi non est in baptismo; ergo nec verus ejus sanguis est in eucharistia. Quod si objiciant non absolute dictum: similitudinem mortis Christi sumis

et similitudinem sanguinis bibis, sed potius, sicut similitudinem mortis Christi sumpsisti, ita similitudinem sacri sanguinis bibis, ac ideo similitudinis omnimodae identitatem commendatam fuisse, in hunc modum congrue poterimus respondere. *Sicut* et *ita* adverbia esse similitudinis, non aequalitatis: nec idem esse simile quod aequale. Namque pueri corpusculum recens nati simile est, non aequale hominis corpori jam grandaevi. Praeterea Apostolus de Christo et Adam sub comparatione loquens, haec eadem similitudinis significativa non modo in disparibus, verum etiam in contrariis posuit dicens (1. Cor. 15, 22): *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Quae namque magis ad invicem reperiuntur contraria quam vita et mors? Proinde, quemadmodum inficiari non potest haec (non) esse contraria, licet ejusmodi apponantur adverbia, sic in comparatione mortis et sanguinis Christi auferri omnino non poterit sua dissimilitudo, quamvis et hic similitudinis significativa ponantur. Sed haec vel puro grammatico perspicua sunt. Insistamus nihilominus parumper et aliis Scripturae canonicae locis idem accidere probantes, non semper scilicet adverbia

similitudinis aequalitatem aut similitudinis plenitudinem indicare. Joannes Apostolus in canonica sua (3, 3): *Omnis*, inquit, *qui habet spem hanc sanctificat se, sicut et ille sanctus est.* Et rursus (4, 17): *Fiduciam habeamus in die judicii, quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo.* At longe dissimiles sunt sanctitas Dei et sanctitas hominis, quoniam ille natura sanctus est, homo sanctus ex gratia. Et aliter Deus est, aliter nos sumus in hoc mundo, quia ille sicut Creator idem ipse est, nos tamquam creatura magis transimus quam sumus in hoc mundo. Et in Evangelio Joannis (17, 23) Salvator ad Patrem loquens: *Dilexisti*, inquit, *eos sicut et me dilexisti.* Unde Augustinus in hom. (tract. *in Jo.* 110) super illud evangelicum testatus est dicens: „Neque enim semper aequalitatem significat, qui dicit: Sicut hoc, ita et illud, sed aliquando tantum, quia est illud, est et illud.“ Quo circa in eo quod dictum est: „Sicut similitudinem“ etc., hoc sine dubio sentiendum est, quia et illic mortis similitudo, et hic sanguinis est, quamquam non eodem modo. Siquidem in baptismi sacramento mortis Christi similitudo non proprietas est, in altaris autem sacramento sub similitudine,

idest sub specie, quae exterius cernitur, sanguinis Christi veritas creditur ac praedicatur. Quantum vero sanctissimus ipse Ambrosius sententiae nostrae faveat, quantumque multorum vecordiae contradicat, per Dei gratiam (si vita fuerit comes), enucleatius in sequentibus ex ipsius literis apparebit.

CAPUT VIII.

De verbis s. Augustini in tractatu Psalmorum.

Augustinus praeterea, quem jam saepe commemoravimus in tractatu Psalmi nonagesimi octavi Dominum introducit taliter dicentem: „Spiritualiter intelligite, quae locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, nec bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent.“ Huc usque ille. Ad quae nimirum verba veritatis inimici simul prosilientes acriter nobis insultant, nosque confusos penitus victosque jacere autumantes tripudiant: at eos fallit opinio. Dicunt ergo, quomodo persuadere conamini, quod veram carnem et verum sanguinem sumatis de altari, cum manifeste denunciemur non manducaturos esse discipulos corpus quod cernebant, nec bibituros sanguinem quem crucifigentes erant fusuri?

Talia isti confingentes exsultant, sperantes nos insidiarum suarum posse latere commenta. At nos ea, quae ipsi ex industria praetermittunt s. Augustini verba, altius debemus repetere, ut quantum ipsa nostrae fidei suffragentur, quantumque horum vesaniae reluctentur, commodius valeamus addiscere. In expositione siquidem memorati Psalmi, cum de adorando scabello pedum Domini loqueretur, praemiserat dicens: „Suscepit Dominus de terra terram, quia caro de terra est, et *de carne Mariae* carnem accepit. Et quia in carne ipsa hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit.“ Hoc plane sensit, hoc scripsit ille, quem maligni homines erroris sui defensorem moliuntur ostendere. Deinde post aliqua subjicit dicens: „Tunc autem quando Dominus hoc commendavit, de carne sua locutus erat, et dixerat (Jo. 6, 54): *Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam aeternam.* Scandalizati sunt nonnulli ipsius discipuli, ferme septuaginta, et dixerunt: *Durus est hic sermo, et quis poterit intelligere hoc* (Jo. 6, 61)? Et recesserunt ab eo, et amplius cum eo non ambulaverunt. Acceperunt illud stulte, carnaliter illud cogitaverunt, et putaverunt, quod Dominus

praecisurus esset particulas quasdam de corpore suo, et daturus illis.“ Et paucis interjectis hoc unde gloriantur isti, subjunxit ex persona Christi dicens: „Spiritualiter intelligite quod locutus sum: non hoc corpus quod videtis manducaturi estis; nec bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent.“ Conferatur s. Gregorius *Moralium* lib. 13. cap. 16. ubi ait: „Factum est, ut Redemptoris nostri sanguinem, quem persecutores saevientes fuderant, postmodum credentes biberent, eumque esse Dei Filium praedicarent.“ Haec ille. Numquid igitur qui tam proprie veritatem corporis Christi asseruit, ut ipsam carnem quam *de Maria* susceperat, et in qua hic in terris ambulavit, nobis ad edendum divinitus [1]) testaretur, adversus suam sententiam in unius sermonis serie cum istis sensisse, sibique contraria docuisse erit credendus? Avertat Deus a cordibus nostris hoc vel leviter suspicari de viro tam ingentis gloriae, tamque praeclari meriti sacerdote. Jam vero ut sensus capituli hujus, quod nobis objicitur, secundum ecclesiasticam regulam breviter aperteque

---

[1]) *Divinitus.* Censerem legendum *datam*, vel hanc vocem excidisse.

pandatur, sciendum, quod hoc Christi corpus, quod in sacra mensa altaris sumimus, et ipsum quidem veraciter est quod *de Maria* sumptum est, quodque in terris degens a discipulis passim et a persecutoribus visum est, et tamen juxta aliquid non ipsum est. Dici ergo posset ipsum et non ipsum. Ipsum quidem propter ejusdem naturae proprietatem atque virtutem; non ipsum vero, si respicias ad exteriorem panis vinique speciem. Denique s. Gregorius hoc dixit, quod una eademque persona aliquando secundum factum sit altera, sed quod altera dicitur, facit hoc aliqua exterior immutatio, vel, ut expressius dicamus, alteratio non naturae ipsius personaeque abolitio. Itaque si ipsa eademque persona secundum causam vel actum sit altera, non debet videri absurdum, si verum idemque ipsum corpus dominicum juxta visibilem panis, quam gerit formam, dicatur non ipsum. Quod ut melius queat intelligi, cum multa suppetant, hoc solo non incongrue exemplo utamur. Post suam resurrectionem Dominus (sicut notum est) duobus discipulis in via ambulantibus apparere voluit, sed sub habitu peregrini apparens, per alterius visionis speciem visus etiam latuit. Ubi quandoque vicinior sit species hominis

peregrini ad hominem affinem, quam species panis ad carnem, non inconvenienter tamen dici posset, quod Dominus qui apparebat, et idem ipse erat et non ipse erat. Ipse quidem erat propter ejusdem suae naturae atque personae integram veritatem, et tamen non ipse erat secundum aliam quam discipulorum oculis gerebat effigiem. Discipuli quoque, quibus apparebat et ipsum videbant, quem ante mortem videre consueverant, et tamen juxta qualitatem novae immortalitatis suae et visionis assumptae non ipsum cernebant, quem cernere soliti erant. Secundum hunc modum igitur et illud intelligitur dictum, non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me cruci affigent, quod ex parte declarans post aliqua subdit: „Et si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi, quia si necesse est illud visibiliter celebrari, per id scilicet quod extrinsecus cernitur, oportet illud invisibiliter intelligi secundum id, quod intrinsecus veraciter creditur."

CAPUT IX.

De sententia eiusdem in libro *de doctrina christiana* (lib. 3. c. 15).

De hoc nihilominus solidissima, ut putant, suae sectae solent componere argumenta, quod praefatus antistes dixisse legitur in eo libro, quem inscripsit *de doctrina christiana*: „*Nisi manducaveritis*, inquit, *carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Jo. 6, 54). Facinus vel flagitium videtur jubere. Figura ergo est, praecipiens passioni dominicae esse communicandum, et suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus confixa sit et vulnerata.“ Haec quidem ille. Verum in his sermonibus, sicut nihil est quod non per omnia suscipiamus, sic nihil est quod nostae sententiae refragari in aliquo pertimescamus. Etenim si sonum attendas verborum, quid inconvenientius, imo quid inhumanius sentiri poterit? proculdubio et tu declamabis: *Durus est hic sermo, quis potest eum audire* (Jo. 6, 61)? Hoc utique, sicut paulo ante retulimus, dixere nonnulli ex discipulis Domini, quod dum carnem audientes, sonum verbi et non secundum spiritum intelligentes honestatem

tanti sacramenti, existimabant Christi carnem, aut ferarum more crudam cruentamque vorari, aut certe praecisam coctamque convivantium mensis parari; quo facto, quid facinorosius? quidve flagitiosius? Figura ergo est. Salva namque dominici corporis et sanguinis veritate, quam ex evangelica et apostolica traditione indubitanter tenemus, figuram pariter in eucharistia reverentur admittimus, qua scilicet commonemur passioni dominicae esse communicandum, ac suaviter et utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa sit et vulnerata. Ceterum si forte malevoli calumniatores et subversi subversores dixerint in hoc Evangelii testimonio figuram tantummodo servandam fore, et quoniam facinus vel flagitium videtur jubere, nihil ex eo penitus ad veritatem carnis et sanguinis Christi referri debere, poterimus ad haec Apostoli responsionem praetendere, qui ait (1. Cor. 11, 16): *Si quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Verumtamen ne vel in hoc credant nobis deesse copiam rationis reddendae, dignentur nobiscum, si placet, ad eundem divini eloquii tractatorem se vertere, ut in quo se jactant habere sui erroris suffragium,

in eo reperiant fidei, qua credimus veritati, quam asserimus, inviolabile firmamentum. Siquidem de ratione eucharistiae, de qua hoc loco visus est siluisse, invenitur alibi saepius complura disserere. Praecipue in sermone de corpore et sanguine Domini, in quo praesens Evangelii locum exposuit, ita inquit: „Audiamus magistrum, divinum Redemptorem commendantem nobis pretium nostrum, sanguinem suum: locutus est nobis de corpore et sanguine suo commendans talem escam et talem potum (Jo. 6, 54): *Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis*; et hoc dixit de vita quis alius quam ipsa Vita? Erit autem illi mors, non vita, qui mendacem putaverit Vitam. Ergo et de corpore et sanguine suo dedit nobis salubrem refectionem.“ Hactenus ille. Cum igitur ex tractatu eiusdem evangelicae sententiae, tam in hoc loco quam in ceteris suorum voluminum locis de dominici corporis et sanguinis assertione inveniatur nonnulla manifeste docere, perspicuum est, in praedicto libro illum sic figuram dominicae passionis inducere, quam suscipimus, ut nullatenus aboleat dominicae carnis veritatem quam defendimus [1]).

[1]) De hoc difficili Augustini testimonio cf.

CAPUT X.

De specie et ceteris significativis nominibus.

Fraudulenta sane litigantium molimina de specie ac ceteris significativis nominibus ab ipsis adversariis contra nos adinventa in hujus operis serie minime reor fore praetermittenda. Proponunt namque dicentes, hoc quod vos verum Christi corpus esse fatemini, in scripturis ecclesiasticis appellatur *species*, *mysterium*, *sacramentum*, nec non *figura*: haec autem vocabula ad aliquid sunt, nulla vero, quae ad aliquid referuntur, possunt esse id quod sunt ea, ad quae referuntur; non est igitur corpus Christi. Haec illi. At nos considerantes textum verborum hujusmodi, hoc eos niti probare cognoscimus, ut quod de altari sumimus, species sit tantummodo, seu mysterium, aut certe sacramentum sive figura dominici corporis, non verum corpus Christi. Quocirca necessitas nobis modo incumbit, ut ad obstruendam hujusmodi blasphemiam breviter ostendamus, quod ea quae opponuntur vocabula, nostram assertionem nullatenus impediunt. Quod quidem, comitante nos divina gratia,

---

etiam Guitmundum l. 2. n. 23. ss. *opusc.* XXXVIII. egregie disserentem.

facimus. At primo de *specie*, quod ad rem pertinet, investigemus. Unde in primis sciendum, quod species illarum rerum vocabulum est, quae ante fuere, et ex quibus corporis Christi sanguinisque [1]) conficitur, et sub quarum visione corporis et sanguinis Christi natura contegitur, panis scilicet et vini; sed neque semper et ubique species ad aliquid refertur, quoniam et nonnunquam pro veritate ponitur, juxta quod Dominus ad judaeos loquens testatur (Jo. 5, 37): *Neque vocem eius audistis unquam, nec speciem vidistis.* Et Apostolus (2. Cor. 5, 7): *Per fidem*, inquit, *ambulamus, et non per speciem.* Tunc autem ad speciem perveniemus, quando videbimus eum sicuti est. Denique quid sit per fidem nunc ambulare et ad speciem postmodum pervenire, Salvator in Evangelio Joannis palam declarat dicens (8, 31): *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Manere namque in sermone Christi, hoc est per fidem ambulare, veritatem autem cognoscere, liberari a veritate, ipsum est ad speciem pervenisse et in

---

[1]) Legendum putarem *corpus Christi sanguisque*, vel ex sequenti inciso hic supplendum *natura*.

specie permanere. Species ergo, sicut diximus, pro manifesta rei veritate aliquando legitur. Denique b. Augustinus hoc expertus in tractatu Evangelii secundum Joannem, dum de transitu maris rubri verba faceret, speciem pro veritate usurpavit dicens (Tract. 11,n.4): „Figura maris tantum valuit, species baptismi quantum valebit?“ Hoc, ut opinor, si forte legissent adversarii nostri, sicut vocabulo speciei removere conantur veritatem corporis Christi, ita etiam vacuare satagerent integritatem baptismi. Sed absit hoc, ut nomen speciei aut verissimam baptismi integritatem tollat, aut integerrimam corporis Christi veritatem excludat. Itaque si species in eucharistia pro veritate accipienda est, nulla est controversia. Sed si speciei vocabulum pro rei alicuius significativa visione sentiendum est, quoniam et ita plerumque solet intelligi, referendum est ad exteriorem, quae remanet visionem panis et vini Ad hunc utique sensum pertinet illud, quod in sabbato autumnalis jejunii in celebratione missarum orando canimus (Postcommunio): „Perficiant in nobis, quaesumus, Domine, tua sacramenta quod continent, ut quae nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus.“ Sub specie panis ac vini corpus et sangui-

nem Domini non semel jam diximus contineri. Porro quod dicitur rerum veritas efficiendarum rerum adimpletio est. Res autem, quae per hunc altaris cibum potumque efficiuntur, sive in nostris moribus, seu certe ex divinis muneribus, illecebrarum carnalium est ad imitationem passionis Domini mortificatio, veraque nostrorum peccaminum remissio. Sensus ergo verborum in illa oratione contentorum talis est: Tunc profecto ea, quae specie gerimus, rerum quoque veritate capimus, cum illa, quae super dominicam mensam sub terrenarum specie celebramus, vero salutarique praedictarum rerum effectu percipimus. Quod tunc utique fit, cum digne percipientes sub specie memorata sacri corporis ac sanguinis alimentum, ex perceptione eorundem efficiendarum rerum quas praediximus virtutem potimur. Quae quia non omnibus proveniunt (sunt enim quidam qui indigne sumendo, judicium sibi manducant et bibunt), merito in oratione salutarium rerum veritatem et efficaciam nobis provenire rogamus. Haec de vocabulo *speciei* sufficere arbitror, firmissime tenentibus nobis, ut quemadmodum post resurrectionem Christus assumpta specie peregrini non abstulit personae et naturae suae proprietatem,

sic nunc in sacramento altaris per speciem panis et vini servatam non auferatur corporis et sanguinis veritas. Ad cetera nunc accingimur.

CAPUT XI.

De mysterio, sacramento atque figura.

Expeditis de specie iis, quae dici visa sunt oportere, jam nunc veniendum est ad indaganda cetera, quae sunt *mysterium*, *sacramentum* atque *figura*. His autem nobis tanto propensiori studio insistendum est, quanto plus in hujusmodi vocabulis depravatorum hominum fere tota spes est. Nempe quotiescunque istorum fallacia canonicae Scripturae testimoniis fuerit valenter elisa, ad haec confestim, velut ad vincla [1]) quaedam suae partis divertunt praesidia. Ut ergo quae postmodum sunt proferenda, lucidius valeamus absolvere, curae nobis sit ad praesens eorundem nominum rationes sensusque depromere. Sciendum est in primis de *mysterio*, quod a graeco etymologiam trahit, quod est μύστης, quod latine secretum et sacris initiatum sonat. Unde de συμμύσται, hoc est consacerdotes et consecretales dicun-

---

[1]) *Vincla.* Conjicio legendum esse *invicta*.

tur, idest ejusdem secreti conscii. Quicquid igitur secretum est et occultum, non incongrue dici potest mysterium. Testatur hoc divus Hieronymus sacrarum literarum verus interpres in libro super Danielem eo loco, quo scriptum (Dan. 2, 19): *Tunc Danieli per* [1]) *noctem mysterium*, quod rex interrogat, *revelatum est.* Atque post pauca (Ibid. 27): *Mysterium sapientes magi et arioli nequeunt indicare regi.* Proinde quoniam hoc, quod in dominica mensa divina institutione efficitur, intellectu magis quam aspectu concipitur, ubi a fidelibus non quod species repraesentat, sed quod fides habet attenditur: fides quoque, testante Apostolo (Hebr. 11, 1), nonnisi de rebus reconditis et non apparentibus agitur; qua de re non immerito *mysterium fidei* nuncupatur in ecclesiasticis literis. In quo nihilominus, sicut et supra memoratum est (c. 3. 4.), secreta quadam spiritualique intelligentia mysterium venerabiliter geritur dominicae passionis, nec non divinae propitiationis, postremo pacis nostrae mysterium et indissolubilis unitatis[2]).

---

[1]) Vulgata, *per visionem nocte.*

[2]) Duplici ergo de causa secundum auctorem nostrum eucharistia *mysterium* dicitur, tum quia in ea

Praetera *sacramentum* dicitur sacrae rei signum, vel ut Augustino placet (*de civ. Dei* lib. 10. c. 5), sacrum signum. Signum autem, sicut graecorum sapientibus visum est, dicitur id per quod cum videtur, aliud aliquid indicatur. Hoc utique modo intelligi volunt signum Jonae prophetae, quod incredulis dari promittitur a Salvatore. Nec non et illud quod, Simeone prophetante, Christus positus perhibetur in signum cui contradicetur. Hoc est enim Jonae signum, ubi Jonas videbatur et Christus intelligebatur. Id quoque signum fuit, in quo Salvator advenit, quia aliud in eo videbatur, aliud intelligebatur. Caro siquidem videbatur, et Deus credebatur. Denique secundum hunc sensum fideles Christi pia simplicitate contenti, in sacrosancta eucharistia nomen accipiunt sacramenti, probantes ideo sacramentum vocari, quia in altari quoque aliud est quod intuitu corporali conspicitur, aliud quod mente fideli deprehenditur: verumtamen haec significatio ad sensum dumtaxat videndi pertinere cognoscitur. Signum vero ad ceteros

---

latet corpus Christi oculis invisibile, quod solum fide attingitur, tum quia ejus celebratione recolitur secreta quadam ratione passionis dominicae memoria.

etiam sensus, maxime ad auditum referri nulli fere dubium est; fidem quoque ex auditu esse Apostolus testis est (Rom. 10, 17). Commodius itaque ac plenius a latinis nostris definitum esse reperitur in hunc modum: Signum est illud, quod praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se facit in cognitionem venire, sicut animalis viso vestigio, transisse animal cujus est vestigium cogitamus; et voce animantis audita, illico affectum animi illius advertimus. Hujus determinationis regula tam Jonae signum, quam alia sacra veterum signa probabilius comprehenduntur, quae a nobis magis ex auditu, quam ex visu comperta habentur. Igitur si sacramentum sacrum signum est et signum res est, quae praeter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit ex se in cognitionem venire, indubitanter colligimus, sacramentum sacram rem esse, qua praeter speciem, quae sensibus ingeritur, aliquod aliud sacramentum intellectu concipitur. Ut enim de sacramentis hujus temporis eloquamur, baptisma sacramentum est, ubi praeter speciem, quae cernentium oculis ingeritur, sacra mors Christi, et per ipsam peccatorum remissio intelligitur. Et idem de praeteriti temporis sacramentis, hoc est, veteris legis

usuvenit; praeter enim species, quae nostris auribus inferuntur, alia quaedam sacra ex ipsis mente concipimus. Ea propter omne sacramentum, quia secretum est et occultum, dici potest etiam mysterium, sed non contra omne mysterium est sacramentum. Est enim mysterium iniquitatis. *Nam mysterium iniquitatis*, inquit Apostolus (2. Tessal. 2, 7), *jam operatur*; *tantum ut qui tenet nunc, teneat.* Sacramentum autem iniquitatis nusquam facile arbitror inveniri, nisi forte gentiles ritus habuisse aliqua sacramenta nefanda quis affirmaverit, sicut etiam quaedam exsecrabilia sacra colebant, sed de sacramentis christianorum nobis est sermo.

Ceterum *figura* multifaria significatione late diffunditur, nec aliqua facile verbi determinatione concluditur. Praeter illam tamen supereminentem atque ineffabilem paternae majestatis figuram, de qua scribit Apostolus (Heb. 1, 3), commemorans splendorem gloriae et figuram substantiae Dei, quam utique non decet humanae definitionis clausula terminari: sciendum quod omnis figura fere, sive ab eo nomen trahat, quod est fingere, sive aliunde nominis sui ducat originem, aut corporalis, aut vocalis, aut certe actualis est. Siquidem vel in corpore est, vel in voce, vel

in re gesta. In corpore quidem, sicut figurae, quae arte sculpendi fiunt in lignis, seu lapidibus, seu etiam quae pingendi arte fiunt in tabulis parietibusque domorum, nec non quae scriptoris manu finguntur in membranis, vel in aliis quibuslibet materialibus. In voce vero, sicut omnia verba, quae videlicet signa rerum sunt, tam ea quae signis propriis, quam quae signis continentur translatis. Vocem autem malui dicere, quam verbum, quoniam vox nonnulla continet, quae non complectitur verbum, ex quibus sunt clangores tubarum, fragores ventorum, voces etiam quorumlibet animantium. Quae quia nonnunquam aliquid significant, utique signa sunt, ac per hoc et figurae dici non immerito possunt. Postremo in re gesta figurae sunt, sicut per ea quae apud veteres gerebantur, alia quaedam divinitus figurabantur, de quibus Apostolus loquebatur (1. Cor. 10, 11): *Haec omnia in figura contingebant illis.* Ad quem modum pertinere noscuntur quaecunque nunc pro temporis qualitate in sacramentis aguntur. Quamobrem si sacrae rei figura fuerit, sacramenti vocabulo recte censebitur. Itaque si de rebus sacris agant sive figura sive mysterium, jure sibi nomen vindicant sacramentorum. Haec

quidem de sacramento ac figura, quae cursim tetigimus, latius autem forent[1]), sed nos ad alia tendentes, voluimus haec succincte percurrere, vitandi fastidii gratia.

CAPUT XII.

De distantia sacramentorum utriusque Testamenti, et de sacrificio Melchisedech.

Cum ergo pravi quoque dogmatis assertores sacramentum sacrae rei signum vel sacrum signum dici sciant, audiant etiam in ecclesiasticis scripturis sacramentum corporis et sanguinis Christi vocari, quod a nobis in altari conficitur: quasi probabiliter se putant adstruere, quod corpus sanguisque Domini in mensa dominica non essentialiter, neque in veritate, sed sacramentaliter tantum habeatur et in significatione. Et si aliquando divina fuerint auctoritate compulsi, ut fateantur veritatem dominici corporis, ea sola intentione id faciunt, qua Christum verum agnum veramque vitem dici novere, cum constet, quod neque agnus neque vitis Christus sit proprietate, sed tantummodo similitudine. Proinde ad tantam vecordiae suae voraginem devenere, ut probare conentur,

---

[1]) Supple *tractanda*, vel quid simile.

nihil amplius veritatis habere, quae in altari a nobis celebrantur, quam panis et vinum, quae obtulisse fertur Melchisedech sacerdos Dei summi. Siquidem panis et vinum, quae ille obtulit, sacramenta erant corporis et sanguinis Christi, et panis vinumque altaris sacramenta solummodo esse sentiunt ejusdem nihilominus rei. Quod si ita est, nihil excellentiae nihilque maioris efficaciae habere cernuntur sacramenta evangelica ultra sacramenta legalia. Ac per hoc quod nobis Christus contulerit carnem sumendam, prorsus non video. Nutat divinae apostolicaeque sanctionis auctoritas, et quod vel somniare scelus est, ipsa per omnia fallitur Veritas. Adhuc enim in umbra sumus figurarum, et lucem veritatis nondum attigimus, quam nos in Christo et per Christum adeptos esse, sacris attestantibus literis credebamus. Clamat autem praedicator veritatis (1. Cor. 10, 6), omnia illis in figura contingere, et umbram futurorum bonorum legem habere, ipsaque legis sacramenta exemplaria verorum docet exsistere. Multiplici quoque ratione per omnem praedicationis suae textum ostendit ipsa bona, quae illis veteribus erant futura, quorumque in lege servabatur umbra, in nobis post Christum evidentius adimpleta, nosque

indubitanter assecutos illa vera, quorum ea, quae Moses instituerant, fuerant exemplaria. Quocirca secundum apostolicam disciplinam contra istorum dementiam non mediocris invenitur constare distantia inter utriusque testamenti sacramenta. Differunt quippe prisca sacramenta ab evangelicis sacramentis, quantum umbra differt a veritate, quantum distant exemplaria ab ipsis veris, quorum sunt exemplaria. Denique s. Augustinus de sacramentis utriusque testamenti disputans in tractatu Psalmi septuagesimi tertii loquitur sic dicens: „Audiamus ex Evangelio (Jo. 1, 17), quia *lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Si enim discernimus duo Testamenta vetus et novum, non sunt eadem sacramenta, nec eadem promissa.“ Ac deinde in sequentibus: „Sacramenta non eadem, quia alia sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Testamenti dant salutem, sacramenta vero veteris Testamenti promiserunt Salvatorem.“ Haec ille. Ceterum de sacrificio Melchisedech sacerdotis summi Dei, nec non de sacrificio altaris nostri beatus presbyter Hieronymus in expositione Evangelii secundum Matthaeum testatus est dicens (lib. 4. c. 26): „*Coenan-*

tibus autem eis accepit Jesus panem, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite; hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis (Matth. 26, 26). Postquam typicum pascha fuerat impletum, et agni carnes cum apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, et ad verum Paschatis transgreditur sacramentum, ut quomodo in praefiguratione ejus Melchisedech, panem et vinum offerens fecerat, ipse quoque in veritate sui corporis et sanguinis repraesentaret.“ Hactenus ille. Ubi nimirum breviter quidem, sed patenter edocuit, quod Melchisedech panem et vinum in praefiguratione obtulit, Christus autem servator in veritate sui corporis et sanguinis eadem repraesentavit. Nec omnino poterit sanae mentis quisquam ambigere, quia veritatem sui corporis et sanguinis habeat hoc quotidianum sacrificium Ecclesiae, quod Christus instituit, si illud in veritate dominici corporis et sanguinis gestum est, quod tunc discipulis porrigens ipse per se confecerat; quod vero in altaris mensa verum Christi corpus verumque ejus sanguinem fides orthodoxa esse fatetur, non sic debere accipi, quomodo solet in Scripturis Christus appellari vitis vera

seu verus agnus, in inferioribus ordine suo secundum modicitatem virium nostrarum cum Domini gratia aperire tentabimus.

CAPUT XIII.

De sacramento baptismatis ac sacramento partus virginalis.

Sane qua dicendi facilitate veritatem removent eucharistiae, quoniam in literis patrum saepe legitur sacramentum corporis et sanguinis Christi, ea pariter fateri possunt, baptismum non in veritate, sed tantum in significatione regenerandis attribui: siquidem in eorundem patrum voluminibus scriptum frequenter invenitur etiam *sacramentum* baptismi. Nempe si propterea, quia salutare hoc altaris alimentum nominatur sacramentum, idest sacrum signum corporis et sanguinis Christi, veritas essentiae subtrahitur, significatio sola suscipitur, cur non etiam similiter cum illud aquae lavacrum vocatur sacramentum baptismi, rei proprietas denegatur, et baptismum quoque per significationem solummodo peragi contenditur? Jamque non erit verum, quod Veritas ipsa discipulis locuta est dicens (Matth. 28, 19): *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in*

nomine Patris etc. nihilque verius aut efficacius habebant illi, quibus scribebat Apostolus dicens (Gal. 3, 27): *Omnes qui in Christo* [1]) *baptizati estis, Christum induistis*, quam illi acceperant antiquitus, de quibus idem testatur Apostolus, quod *patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt; et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari* (1. Cor. 10, 1. s.). Baptizati dicuntur et isti et illi, et in sacramento utrique. Siquidem mare rubrum illis erat sacramentum baptismi. Denique ut advertamus, quanta calumniatores nostros deludat absurditas, si vocabulo sacramenti noluit [2]) adeo inniti, ut rem sacramenti penitus excludant, de virgineo partu, quod ad rem faciat, nonnihil est attingendum. Partum Virginis apud Paulum et catholicos nonnullos magnae auctoritatis viros, non modo mysterium [3]), verum etiam sacramentum (quod isti minime inficiabuntur) nemo est qui ambigat. Inquit enim Paulus ad Ephesios scribens circa principium (1. 9):

---

[1]) Vulg. *Quicunque enim in Christo.*

[2]) *Noluit* legendum puto *volunt.*

[3]) Excidit verbum *dici* seu *appellari* vel quid simile.

Ut notum nobis faceret sacramentum voluntatis suae, ubi manifeste de mysterio loquitur incarnationis. Et Leo Papa atque idem sanctus in quodam de Domini natali sermone (*serm.* 2. c. 1) sic infit: „Reparatur enim nobis salutis nostrae annua revolutione sacramentum, ab initio promissum, in fine redditum, sine fine mansurum. In quo dignum est nos sursum erectis cordibus divinum adorare mysterium.“ Videte mysterii in re tanta vocabulum, perpendite et in hoc sacramento nomenclaturam. Quid ergo? quoniam adhibetur denominatio sacramenti, si per illud tollitis Christi corporis et sanguinis veritatem in eucharistia, tolletur et veritas in incarnationis mysterio? Negabitis ibi cum Nestorio duas naturas, divinam scilicet et humanam in unitate personae et hypostasis fuisse unitas? An sentietis cum Manichaeo Christum habuisse corpus phantasticum et non verum? Habet (tametsi incarnatio illa sacramentum appelletur) verum corpus de massa humani generis sumptum, nempe, ut Paulus inquit (Rom. 1, 3): *Ex semine David secundum carnem* non de coelo allatum, ut Valentinus asseruit; et animam rationalem, quod negavit Appollinaris: estque verus Deus et verus homo, et

perfectus uterque, non per inhabitationem tantum Deus vel Filius Dei, ut scilicet Filius Dei hominem illum inhabitasset quam ceteros excellentius, uti sensit Nestorius; non autem purus (scil. homo), qui per vitae meritum ad celsitudinem hanc pervenerit ut Filius Dei prae ceteris suis dictus, ut Photinus autumavit. Videant igitur adversarii nostri, quantum sit tribuendum vocabulo sacramenti, atque agnoscant veritate compulsi, an quia hoc vel illud sacramentum a veteribus dicitur, ideo in signo tantum, aut figura accipiendum sit. Namque, ut bene consequitur, somnium merum fuisset incarnatio illa dominica, quippe quum et haec tum mysterium, tum sacramentum dici comprobatum sit. Verum ne quis occasione dictorum existimet tot esse sacramenta Ecclesiae, quot sunt quibus congruit sacramenti vocabulum, scire debemus, ea solum esse Ecclesiae sacramenta a Servatore nostro Jesu instituta, quae in medicinam nobis tributa fuere, et haec numero adimplentur septenario [1]). Virgineus autem

---

[1]) Notetur hoc testimonium pro numero *septenario* sacramentorum, cum vix aliqui sint ante Gregorium nostrum, qui *diserte* hujus numeri faciant mentionem.

partus nullam nobis attulit medicinam, sed medicum ipsum largitus est. Sed redeamus unde digressi fuimus. Ad haec respondebunt (scio), partum ipsum Virginis Deiparae dici sacramentum, non quia proprie sit sacramentum, sed quoniam res sensibus nostris abstrusa atque intellectu multo difficillima, cum dicat Isaias (53, 8): *Generationem eius quis enarrabit?* ideo nonnunquam reperiri cum vocabulo sacramenti. Quid deterius istis altaris mensa commeruit, ut ideo corpus Christi dicatur in ea non veraciter, sed tantum sacramentaliter effici, quia adhibetur denominatio sacramenti? At forte objicies dicens: non ita debere accipi quod dicitur sacramentum baptismatis, vel etiam sacramentum chrismatis, sicut hoc quod dicitur sacramentum dominici corporis et sanguinis, operae pretium videtur ita quidem sacramentorum rationes brevitate qua possumus nunc per digressionem explicare, ut quantum eucharistiae sacramentum ceteris Ecclesiae sacramentis conveniat, lucidius queamus inspicere. Quod quidem, si onerosum lectori non fuerit, nunc facere exordiemur. Sed benevolentiam simul diligentiamque lectoris sermo praesens exposcit.

CAPUT XIV.

Quae sint Ecclesiae sacramenta, et quae singulis ratio observanda est.

Tria siquidem in Ecclesia gerimus sacramenta, quae sacramentis aliis putantur non immerito digniora, scilicet baptismum, chrisma, corpus et sanguis Domini. Quorum trium primum et ultimum ex ipsius Redemptoris institutione percepimus, ex apostolica vero traditione [1]) illud quod medium posuimus. Sunt praeterea quaedam alia, quae videntur velut antiquiora sacramenta, videlicet sacerdotalis ordinatio, legitimum conjugium, sacramenta quandoque dicuntur scripturarum et jusjurandi sacramentum. Quamvis et unctione sacramentali in consecratione quorundam, maxime sacerdotum,

---

[1]) *Ex apostolica traditione.* Quae non ita sunt intelligenda, ac si apostoli confirmationis sacramentum instituerint; vult enim auctor noster tantum significare, baptismi et eucharistiae institutionem a Christo ipso factam nos in Evangelio legere, confirmationis vero institutionem a Christo factam non legi, sed tantum in actis apostolorum referri illam ab apostolis fuisse collatam: unde tamen inferendum est, eam fuisse a Christo institutam, cum Christi solius sit sacramenta instituere. Ceterum confirmationis institutionem Gregorius noster supra c. 13. implicite saltem Christo tribuit.

regum et prophetarum ipsos etiam veteres legamus solemniter usos. Chrisma autem unctio est. Unde et ipsos hac unctione mystica perfusos Christos vocabant. Ea propter licet noverimus quosdam non improbanda simplicitate contentos, hanc tantum in sacramentis discretionem tenere solere, ut dicant aliud esse sacramentum, aliud rem, id est virtutem sacramenti, si rationes tamen sacramentorum paulo diligentius perscrutemur, in unoquoque sacramento tria esse distincte servanda inveniemus: rem scilicet quae sacramentum est, rem cuius sacramentum est, et rem quae virtus sacramenti est. Constat enim sacramentum, sicut supra docuimus, sacrum signum esse: omne autem signum rem utique aliquam esse, rem etiam, quae signum est, alterius alicujus rei proculdubio signum esse. Aliud est ergo res, quae sacramentum est, aliud cujus sacramentum est. Porro res, quae sacramentum est, id est sacrum signum, ipsa est, quae sacrum aliquod significat. Res autem, cujus est sacramentum, est ipsa quae per illud significatur. Verum quid utilitatis Ecclesiae sacramenta videbuntur conferre, si tantummodo quaeramus, quid eorum significatione sacramentaliter innuatur, et non etiam indagemus, quid in nobis sacramen-

torum virtute veraciter efficiatur? Opportune igitur et convenienter in hac trifaria sacramenti distinctione tertium locavimus membrum, quod sacramenti virtutem haud incongrue nominavimus. Quas quidem sacramentalis intelligentiae observationes ipsa rerum congruentia sic se habere facile praedocemur. At si necessitas exegerit ex disciplina majorum, praecipue b. patris Augustini magisterio, haec eadem probare poterimus. Is namque in expositione Evangelii Joannis, dum de spirituali comestione carnis dominicae mystice dissereret, tam sacramentum quam rem cujus est sacramentum, nec non virtutem sacramenti non semel patenter expressit. Et si forte quispiam legens ea, sed non intelligens, rem cujus est sacramentum, et rem quae virtus est sacramenti, unum idemque esse crediderit, arbitror nimirum, quia si hoc solertius inspexerit, sine dubio falli dubitare non poterit.

CAPUT XV.

De sacramento baptismi et sacramento chrismatis quomodo intelligantur.

Verum nos ut de sacramentis ea quae coepimus exsequamur, tria illa superius commemorata, ceteris nunc interim compendii

causa praetermissis, ad explanandum sacramenta sumamus. Et primo quidem de sacramento baptismi simul et chrismatis, juxta rationem tripartitae observationis, quae ad rem pertinent eloquamur, ut eorum comparatione postmodum, quam parilem cum sacramentis aliis sacrosanta eucharistia veritatis integritatem possideat, commodius insinuemus. Est itaque baptisma lavacrum aquae in verbo. Hoc enim nobis ostendit Apostolus Paulus ita dicens (Ephes. 5, 25. 26): *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae.* Lavacrum ergo aquae in verbo est baptismus, et ipse baptismus utique est sacramentum. Patet hoc, nec dubium est. Si autem baptismus est utique sacramentum, quid est quod in literis patrum tam crebro legitur sacramentum baptismi? Quale illud est, rogo, sacramentum, quod sit sacramentum baptismi, ac per hoc sit sacramentum sacramenti? Sed non ita dicitur sacramentum baptismi, quomodo dicitur epistola Pauli, aut Evangelium Matthaei. Est autem quidam talis modus locutionis, velut si dicam de aliquo, quod habet virtutem humilitatis. Nam cum dico virtutem humilitatis, non aliam volo intelligi

virtutem, aliam esse humilitatem, cujus res illa virtus sit; sed ideo non sine additamento humilitatis virtutem nomino, quia si solummodo dicerem virtutem, nesciretur certius de quanam agerem virtute. Quia est alia virtus, quae dicitur prudentia, alia quae vocatur justitia. Ad differentiam quapropter alicujus cujuslibet virtutis, non absolute nomino virtutem, sed virtutem humilitatis pronuncio, tamquam si dicerem eam virtutem quae est humilitas. Equidem virtus humilitatis non aliud quam ipsa humilitas est, quae profecto animi est virtus. Simili sensu illud quoque accipitur, quod de Abraham Apostolus scribit (Rom. 4, 11): *Et signum accepit circumcisionis.* Non aliud circumcisionem illam manufactam, et aliud signum ejus intelligi voluit, sed ipsam circumcisionem carnalem signum pariter et signaculum justitiae fidei nuncupavit. Unde in quibusdam exemplaribus non legitur: *Et signum accepit circumcisionis*, sed potius ita: *Et signum accepit circumcisionem.* Ipsam vero circumcisionem Abrahae in signum datam fuisse, ex libro Geneseos accipitur. Denique non aliter intelligitur et illud, quod idem ait Apostolus (Col. 1, 18): *Ipse est* (Christus scilicet) *caput Ecclesiae corporis, qui est*

principium, primogenitus ex mortuis. Caput corporis Ecclesiae, inquit, quasi diceret: caput corporis quod est Ecclesia. Alias etiam hujus locutionis morem servavit, ubi taliter scribit dicens (Col. 2, 11): *Circumcisi estis circumcisione non manufacta in exspoliatione corporis carnis*, idest in exspoliatione corporis, quod est caro. Et alibi (Eph. 4, 23): *Renovamini in spiritu mentis vestrae.* Etenim si tantum dixisset: *Renovamini spiritu*, ambiguum esset quem spiritum intelligi vellet. Est namque Spiritus qui Deus est. Sunt spiritus coelestes, alii dono gratiae electi, qui dicuntur angeli sancti, alii merito superbiae dejecti, qui vocantur spiritus immundi; sunt spiritus peccatorum; est spiritus procellarum, qui est vis ipsa ventorum, propterea cum adjectione scripsit: *Renovamini spiritu mentis vestrae*, id est eo spiritu qui mens est. Quocirca sicut cum dicitur signum circumcisionis, ipsa circumcisio, quae signum erat, intelligitur, et quemadmodum quod dicitur corpus Ecclesiae, ipsa Ecclesia est, atque Spiritus mentis non aliud quam ipsa mens esse cognoscitur: sic nimirum cum legitur sacramentum baptismatis, non aliud quam ipsum baptisma, quod sacramentum esse ostenditur. Sacramentum

enim baptismi, ipsum baptisma est. Sacramentum quoque chrismatis ipsum chrisma est. Simulque sacramentum corporis et sanguinis Christi, corpus et sanguis Christi est. Hae siquidem res sacrae jure sacramenta vocantur, in quibus praeter species, quae sensibus ingeruntur, aliquid aliud sacrum intellectu percipitur. Ecce cognovimus in singulis istis rem, quae sacramentum est; restat in eisdem, Deo favente, quaeramus etiam rem, cujus hoc signum illud sacramentum est. Sed meminerit diligens lector meus atque benevolus, quod supra monuimus, ut cum audit dici rem, quae sacramentum est, rem intelligat quae sacramentum aliquod [1]) significat; cum vero rem legit, cujus est sacramentum, sacramentum illud quod significatur noverit sentiendum.

CAPUT XVI.

De re cujus sacramentum est baptismus.

Quaerentibus nobis invenire rem, cujus baptismus sacramentum est, oportet pluri-

---

[1]) *Sacramentum aliquod* i. e. sacrum aliquid idque occultum et latens. Ceterum cf. cum his quae habet Algerus *opusc.* XXIII, 199. ss. et quae ib. p. 83 et 87. adnotavimus.

mum, ut apostolus Paulus nobis subveniat, et de tanto mysterio cordibus nostris per semetipsum respondeat. *Quicunque enim*, ait (Rom. 6, 3. ss.), *in Christo Jesu baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo resurrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.* Quibus verbis dum baptizatos quosque in Christi morte asserit baptizatos, simulque et per baptismum in morte fore consepultos, atque mortis ejus pariter et resurrectionis similitudini complantatos, utique satis elucet, quod sacramentum seu mysterium dominicae mortis, sepulturae quoque, nec non et resurrectionis sit hoc christianorum baptisma, in quo mystica significatione geratur mortis Christi, sepulturae simul ac resurrectionis praeteritae similitudo atque memoria. Haec nunc si intellexerimus, rem proculdubio, sive res, quarum baptisma sacramentum est, nos invenisse gaudebimus. Postremo si rem quoque, quae hujus sacramenti virtus est, nosse volueris, apostolus te Petrus in Apostolorum actibus apertius

edocebit. *Poenitentiam*, inquit (Act. 2, 38), *agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu in remissionem peccatorum.* Audivimus ex apostolica doctrina, cujus baptisma sacramentum sit, id est quod per illud sacramentaliter innuatur, quod est mors Christi, sepultura ejus seu resurrectio. Advertimus etiam, quod hujus sacramenti virtus sit, id est quod per illud in nobis salubriter efficiatur, quod est omnium peccatorum remissio. De quo utroque venerabilis praesul Augustinus in libro *Enchiridion* (n. 52) talia profitetur dicens: „Intelligamus nihil aliud esse baptismum quam mortis Christi similitudinem, ut quemadmodum in illo vera mors facta est, sic et in nobis vera remissio peccatorum.“ Et iterum (n. 43.): „A parvulo recens nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus est prohibendus a baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo. Sed parvuli tantum originali, majores autem etiam iis omnibus moriuntur peccatis, quaecunque male vivendo addiderunt ad illud, quod nascendo traxerunt.“

CAPUT XVII.

De eo sacramento quod est chrisma, et de re cujus est sacramentum.

Ceterum chrisma, quo, licet ritu dissimili, sacerdotes ac reges in antiquo populo Dei, sicut supra retulimus, solebant celebriter ungi, unum de sacris Ecclesiae sacramentis exsistere paulo ante ostendimus, quo nos quoque, qui jam per Christum genus regium ac sacerdotale esse meruimus, ex ecclesiastica institutione solemniter uti videmur. A chrismate vero dicitur Christus, quia sicut chrisma unctio, sic et Christus latine interpretatur unctus, de quo propheta Daniel loquitur dicens (Dan. 9, 24): *Ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur sanctus sanctorum.* Qua autem unctione sanctus hic sanctorum sit unctus psalmographi vaticinio declaratur. *Unxit*, inquit, *te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis* (Ps. 44, 8). Porro si forte cupias instrui, quid sit oleum exsultationis vel laetitiae, ex apostoli Petri magisterio disce. Ait enim in Apostolorum actibus (10, 37. s.): *Incipiens a Galilaea*

post baptismum, quod praedicavit Joannes, Jesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute. Unctus est ergo Deus et Dominus Jesus, qui est sanctus sanctorum a Deo Patre oleo laetitiae id est Spiritu sancto et virtute. Non autem tunc primum hanc sortitus est unctionem, quando plenus Spiritu sancto regressus est ab Jordane, sed magis ab initio, quando secundum Evangelii textum conceptus est de Spiritu sancto et Maria Virgine. Haec est igitur singularis et supereminens unctio capitis nostri, cujus utique sacramentum est hoc nostrum chrismale unguentum: haec est res sacrosancta, nostri scilicet Redemptoris unctio tam praecipua, quae per hoc visibile signatur unguentum. Denique quidam inter catholicos sapientes non ignobilis, haec de quibus agimus sic scribit: „Unctus est Jesus non oleo visibili, sed dono gratiae Dei, quod visibili signatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.“ Inspeximus, ut reor, non improbabiliter rem, cujus est sacramentum hoc visibile chrisma: superest etiam, ut attentius exploremus quae hujus sacramenti sit virtus. Et quidem cum in supradicto Psalmistae capitulo insinuaretur Christus Salvator oleo laetitiae perfusus fuisse, protinus adjectum est

(Ps. 44, 8): *Prae consortibus* vel *participibus tuis.* At cum praeter participes, seu potius prae participibus suis scribitur unctus, liquet omnino quod et ipsi participes Christi oleo laetitiae, id est dono spiritualis gratiae pro modulo suo quisque ungitur. Unde namque fideles quoque fiunt participes Christi non habendo spiritum Christi? dicit enim Apostolus (Rom. 8, 9), quia *si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Habendo autem Spiritum ejus, fiunt participes ejus; sed ipse prae his participibus Spiritus sancti virtute repletur, quoniam sicut Evangelium refert, non ad mensuram dat Deus spiritum ipsi (Eph. 4, 7): *Unicuique vero nostrum datur Spiritus sancti gratia et secundum mensuram donationis Christi.* A quo videlicet sicut accepimus nomen ut christiani vocemur, ita nihilominus sancti Spiritus unctionem ab illo suscipimus, ut in ejus corpore sanctificemur. Haec, inquam, virtus est sacramenti, de qua loquimur, quia per manus impositionem episcoporum virtute chrismalis unctionis sancti Spiritus donum traditur baptizatis. Intuere nunc si non apostolus Petrus hoc idem praemonstrare voluerit, qui cum praemisisset, quae paulo ante commemoravimus (Act. 2, 38): *Poeniten-*

tiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu in remissionem peccatorum, confestim subjunxit: *Et accipietis donum Spiritus sancti.* Numquid in baptismate vel regenerationis beneficium, vel remissionem peccatorum possent consequi absque dono Spiritus sancti? quare ergo utrumque distincte posuit, peccatorum scilicet remissionem et donum sancti Spiritus, cum ipsa peccatorum remissio donum sit Spiritus sancti? Sed observandum diligentius, quia quod Apostolus distincto sermone protulit, hoc idem Spiritus sanctus in quibusdam distincta operatione exhibuit. De samaritanis siquidem, qui baptismi gratiam consecuti fuerant, scriptum legitur (Act. 8, 16): *Nondum enim in quemquam illorum venerat Spiritus sanctus, sed baptizati tantum erant in nomine Jesu.* Neque enim dubitare fas est, eos qui dicuntur in nomine Domini baptizati ex aqua et Spiritu sancto fore renatos, remissionem peccatorum consecutos, in quos tamen solita illius temporis manifestatione nondum venerat Spiritus sanctus. Quem tamen post paululum adipisci meruerunt, cum venientibus Petro et Joanne apostolis more pontificali per eorum orationem et impositionem manuum

impetraverunt sancti Spiritus donum. Proinde sicut remissionem peccatorum constat esse virtutem baptismalis sacramenti, sic indubitanter virtus est istius sacramenti donum Spiritus sancti. Haec interim de his dicta sufficere posse credimus, quae brevitatis studio succincte cursimque digessimus. Studeremus vero de aliis quoque Ecclesiae sacramentis secundum hunc modum competentia prosequi, si vel opportunitas temporis vel necessitas flagitaret suscepti negotii. Verumtamen nequaquam negligenter praetereundum, sed vigilanter discutiendum est, quid de tribus horum sacramentorum differentiis verum, quidve mysticum deprehendatur. Nempe cum constet in singulis sacramentis aliud esse rem, quae sacramentum est, aliud rem cujus sacramentum est, nec non et rem, quae virtus sacramenti est: sciendum, rem quae sacramentum est, idem baptismum seu chrisma, oculis etiam testantibus, integra veritate concelebrari; rem quoque, quae in singulis virtus sacramenti est, videlicet in illo remissionem peccatorum, in isto autem Spiritus sancti donum invisibiliter quidem in nobis, sed omnino veraciter adimpleri; rem vero, cujus hoc vel illud sacramentum est, mors scilicet Redemptoris nostri et sin-

gularis spiritualisque conjunctio ejusdem capitis nostri, non hic proprie peragi, sed mystice significari.

CAPUT XVIII.

De sacramento quod est corpus Christi, et de ea re cujus est sacramentum.

Aggrediamur jam tandem de eo sacramento, quod est corpus Christi, quae ipse suggesserit promere, ut in sacrosancta nihilominus eucharistia quid veraciter teneatur, quidve sacramentaliter innuatur, possit patere, et superius quod exemplis convenienter adhibitis probavimus, corpus et sanguinem Christi sacramentum esse debere intelligi, quamvis aliquando scriptum inveniatur sacramentum corporis et sanguinis Christi. Sed adhuc majoris causa certitudinis ex majorum dictis hoc idem restat adstruere. Ad quod illud beati Ambrosii prius occurrit, quod in libro *de mysteriis* de veritate corporis Christi disputans ait (c. 4. n. 50): „Forte dicas: aliud video, quomodo tu mihi asseris quod corpus Christi accipiam?“ Et paulo post (n. 52): „Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur.“ Ac deinde post pauca (n. 53): „Hoc quod confici-

mus corpus, ex Virgine est.“ Cum ergo asserit, quod corpus Christi accipiamus, sacramentum esse, quod Christi sermone conficimus, quis non advertat quod corpus Christi sacramentum velit intelligi? Praeterea et s. Augustinus in libro *ad Januarium* (epist. 118, n. 4) hoc ostendit taliter dicens: „Faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neuter eorum exhorret corpus et sanguinem Domini, sed saluberrime sacramentum certatim honorare contendunt.“ Ecce habes corpus et sanguinem Domini saluberrimum sacramentum vocari. Apparet ergo corpus et sanguinem Salvatoris sacramentum rite exsistere, non tantum per id solum, quod interius veraciter esse creditur, sed per exteriorem panis vinique speciem, quae cernentium oculis repraesentantur. Alioquin secundum illam sacramentorum definitionem, quam ex literis patrum percepimus, quam et superius praefati sumus, non recte constabit, nec integra erit ratio sacramenti, nec visibilis species oculis inferetur, praeter quam aliquid aliud sacramentum intellectu concipiatur. Haec si sine invidia legeris et intellexeris, rem proculdubio quae sacramentum est te concepisse videbis. Porro de re, sive potius de rebus, qua-

rum hoc sacramentum est, in anterioribus schedulis prolocuti sumus (c. 11), quas esse passionem mortemque dominicam, pacem non fictam, unitatem sive concordiam evidenter ostendimus. Quod quia perspicuum est, Scripturarum testimoniis affirmare superfluum censuimus, sed convertamus auditum ad apostolum Paulum, ut et ipse nos doceat de re, cujus est sacramentum hoc, idemque significatur per hoc sacramentum. *Unus*, inquit (1. Cor. 10, 17), *panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Istud unum corpus quod nos multi, sancto nos vivificante Spiritu, sumus per hoc sacramentum mystice designari, patenter his verbis expressit Apostolus. Re igitur vera pariter et mira verum corpus Christi per visibilem, quam gerit, speciem panis et vini, sacramentum profecto colligitur esse corporis Christi. Accipe nunc illud b. Augustini testimonium, quod in libro *de civitate Dei* (21. c. 25) perhibuit dicens: „Qui ergo est in Christi corporis unitate, idest in christianorum compage membrorum, cujus corporis sacramentum fideles communicantes de altari sumere consueverunt, ipse vere dicendus est manducare corpus Christi et bibere sanguinem Christi.“ Haec ille. In

qua nimirum sententia in primis illud rimandum videtur, quid sit illud, quod communicantes fideles de altari sumere consueverunt. Quod quia aliud omnino non est, quam id quod sacerdos noster Dominus Jesus exhibuit, nemo de hoc aptius quam memoratus pater Augustinus nos edocebit. In libro siquidem (18. c. 20) *de civitate Dei*, dum de altaris mensa testatus est dicens: „In eo libro, qui vocatur Ecclesiastes, ubi ait (8, 15): *Non est bonum homini nisi quod manducabit et bibet*, quid credibilius dicere intelligitur, quam quod ad participationem mensae hujus pertinet, quam sacerdos ipse mediator Testamenti novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore et sanguine suo?“ Hactenus ille. Participationem mensae dominicae, sicut audivimus, de corpore et sanguine suo, mediator ipse exhibuit, et hoc est quod communicantes fideles de altari percipiunt, ipsumque corpus Christi, quod sumitur de altari, sacramentum esse probatur corporis Christi. Sed aliud est corpus, quod sacramentum est, aliud corpus, cujus sacramentum est. Bipartita enim ratione dominicum corpus accipientes in Scripturis, aliud esse novimus Christi corpus, quod videlicet ipse est, aliud autem corpus

cujus ipse caput est. Item aliud corpus quod natum est de Virgine Maria, aliud vero Christi corpus, quod est ipsa Virgo mater Ecclesia, de qua Apostolus: *Ipsum*, inquit (Eph. 1, 22), *dedit caput super omnem Ecclesiam, quod est corpus ipsius.* Nam quod Ecclesia per hoc sacramentum significetur, non solum hoc memorati viri testimonio, sed multiplicibus eiusdem patris assertionibus alias sufficienter intimatur, praesertim in tractatu Evangelii *secundum Joannem*, et in libro 10. *de civitate Dei.* Nec facile a quoquam cuncta poterunt comprehendi, quae in significatione Ecclesiae noscuntur ab ipso de hoc sacramento proferri. Quae quidam errantes et in errorem ducentes, quoniam non intelligunt, altercationis potius quam aedificationis de eisdem molimina struunt. Porro nec illud opinor ullatenus praetermittendum, quod de hac eadem re vir doctissimus sanctus presbyter Hieronymus edidit in explicatione Evangelii secundum Marcum (14, 1), ob id maxime, quia scio quosdam in sensum illud retorquere perversum: „*Accepit*, inquit (Marc. 14, 22), *Jesus panem et benedicens fregit*, transfigurans corpus suum in pane, quod est Ecclesia praesens, quae accipitur in fide, benedicitur in numero, frangi-

tur in passionibus, datur in exemplis, sumitur in doctrinis, formans sanguinem suum in calice, ex vino et aqua commixto; ut alio purgemur a culpis, alio redimamur a poenis." Haec ille. Apto satis exponendi ordine usus est, ut qui in eisdem verbis secundum Evangelium Matthaei veritatem corporis sanguinisque dominici, sicut jam supra diximus, sensit et scripsit: nunc in eodem loco secundum Marcum figuram corporis nihilominus Christi, quod est Ecclesia praesens, consequenter ediceret. Siquidem et nos utrumque distinctione congrua suscipientes et incunctanter credimus et fatemur veritatem corporis et sanguinis Christi, et praeservatam speciem panis et vini gratanter admittimus figuram corporis, quod est Ecclesia Christi. Quod vero ait Ecclesiam in pane, et non in panis speciebus figurari, nemo existimet fidei nostrae aliquatenus refragari, quoniam solet in Scripturis idem verum corpus Christi panis nomine censeri, pro eo quod vivus panis corpus est, qui de coelo descendit. Et quoniam sicut materialis panis vitale corpori humano tribuit alimentum; sic caro Christi animae virtutis et gratiae subministrat edulium, et quandoque corpori nostro immortalitatis praebebit subsidium. His ita

decursis, luce clarius arbitramur ostensum, rem, quae sacramentum est, corpus esse Christi per exteriorem speciem; rem vero, cujus est sacramentum idem, quae per hoc significatur sacramentaliter, corpus pariter esse Christi, quod est Ecclesia, verum exclusis his quae supra retulimus, quae sunt passio morsque dominica, fraternae pacis unitas seu concordia: propterea quippe, sicut a majoribus traditum est, ad significandam Ecclesiae societatem Dominus noster Jesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quae ad unum aliquod rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis concurrit, aliud in unum ex multis acinis confluit.

CAPUT XIX.

De eodem, et quod in singulis sacramentis verum et mysticum sit.

Nec illud moveat benevolum intentumque lectorem, quod sacramentum nec in solo corpore Christi vel sanguine, nec in sola panis vinique specie sed in utroque constituimus, quia nimirum et in baptismate cum sit aquae lavacrum simul et verbum, sicut jam ante commemoravimus, nec soli lavacro, nec soli verbo, sed utrique pariter sacramento deputatur. „Nam detrahe verbum ab aqua, quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad ele-

mentum, et fit sacramentum.“ Haec Augustini verba (tract. 80. *in Joan.* n. 3). Quocirca sicut non solum aquae elementum, aut solum verbum, sed utrumque pariter baptismale dicitur sacramentum, ita profecto nec in sola carne Christi et sanguine, neque in sola panis vinique specie, sed simul in utrisque sacramentum consistit eucharistiale. Perpendamus nunc, si placeat, attentius quantum eucharistiae sacramentum ceteris Ecclesiae sacramentis conveniat, quamque parilem cum ceteris sacramentis veritatis integritatem possideat. Quemadmodum igitur in baptismate quod sit elementum et verbum plenissima veritate indubitanter ostenditur; sic nimirum et in eucharistia, quod est corpus et sanguis Christi sub specie visibili, integerrima nihilominus veritate incunctanter corde creditur, ratione defenditur. Haec enim simul sunt, quae simili (scil modo) utique baptismale nec non et eucharistiale sacramentum efficiunt, et earum rerum, quas supra digessimus, sacramenta, idest sacra signa sunt. Res vero ipsa, quarum haec sacramenta sunt, non in veritate sed tantum in significatione utrobique geruntur, quia et in baptismate sacra mors Christi ac resurrectio non proprie sed mystice celebratur, et in eucharistia nihilo minus corpus Christi, quod est Ecclesia, non

essentialiter super altare locatur, neque proprie a participantibus manducatur, sed mystice solummodo vel sacramentaliter intimatur. Constat igitur, nec ambiguum est, corpus, quod est caro Christi, ejusque sanguinem in mensa dominica vere et essentialiter exhiberi; corpus autem quod est Ecclesia Christi figurate ac sacramentaliter demonstrari. Haec non inaniter, ut credimus, de sacramentis expressa sunt, quatenus discernentes quid in singulis sacramentis verum, quidve sit figuratum, quicunque in eucharistiae quoque sacramento de dominici corporis et sanguinis vera essentia dubitare prorsus desistant. Ceterum, ne de his quae ad rem pertinent negligenter aliquid videamur praeteriisse, noverimus corpus Christi id est carnem ejusque sanguinem secundum quendam modum carnis nihilominus ac sanguinis Christi sacramenta non improbabiliter dici posse, quia eadem vera caro idemque verus sanguis quodam modo sui ipsorum gerit figuram. Hoc denique beatae memoriae pater Augustinus insinuare voluit in eo libro, quem contra Adamantium haereticum composuit, nec non in epistola, quam Bonifacio episcopo respondens ipse direxit (ep. 98. n. 9). „Si sacramenta, inquit, quandam

similitudinem rerum earum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque et ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita sacramentum fidei fides est". Haec quidem ille scripsit ad Bonifacium disputans de ratione baptismatis, quod videlicet sacramentum dicit fidei. Ubi nimirum edocuit corpus Christi et sanguinem sacramenta esse corporis et sanguinis Christi, quoniam sicut praediximus, carne Christi et sanguine utroque invisibili spirituali, quod nunc sub sacramentali specie latens percipimus, significatur illud idem Christi corpus visile et tractabile, quod dudum corporali visione manifeste in mundo conversatum legendo cognoscimus, idemque sanguis qui de eius est visibiliter latere fusus. Nec jure (ac non iure) quisquam mirabitur, cum idem Dominus Jesus inveniatur aliquando sui ipsius fuisse sacramentum, sui ipsius ob quandam rerum diversitatem figuram gerendo vel typum. Refert evangelista Joannes (13, 4) Dominum Salvatorem ad lavandum discipulorum pedes a coe-

na surrexisse, seque linteo praecinxisse; ubi profecto, sicut a majoribus intellectum et expositum est, per ipsum Christum ad humilitatis obsequium praecinctum linteo signatur idem Christus ad redemptionis nostrae beneficium circumdandus passionis exercitio. Praecinctus ergo Christus passuri Christi exstitit sacramentum idem ejusdem significans et significatus, manens verus et idem. Sic nunc et in significante et significato corpore Redemptoris ac sanguine manet integra veritas, nec specierum dissimilitudine aufertur ab utrisque verae naturae identitas [1]).

CAPUT XX.

De eodem sacramento.

Quae sane virtus istius sit sacramenti breviter insinuandum videtur, ut illarum trium rerum, quas supra taxavimus, integritatem altaris quoque sacramentum plenius obtinere liquido comprobemus. Res igitur, cujus sacramenti virtus dicitur, eadem est, quia per hoc sacramentum si religiose sumamus, ab-

---

[1]) Cf. similes considerationes et meditationes apud Algerum *de sacramentis corporis et sanguinis dominici* l. 1. c. 11. s. et 17. ss. *opusc.* XXIII.

solutionem peccatorum indubitanter consequimur [1]), nec non ipsi Christo per esum suae carnis potumque sui sanguinis conjungimur. Et de peccatorum quidem remissione testatur Salvator dicens, sanguinem suum pro multis fundendum in remissionem peccatorum. Unde s. Papa Gregorius in libro *Homiliarum* (lib. 2. hom. 37) sic ait: „Quoties Christo hostiam suae passionis offerimus, toties nobis ad ablutionem nostram pas-

---

[1]) *Absolutionem peccatorum indubitanter consequimur.* Haec non sunt intelligenda de effectu immediato et principali quique sit ex opere operato, sed **1.** si sit sermo de eucharistia quatenus est *sacrificium*, de effectu *mediato;* „hujus quippe oblatione placatus Dominus, ut inquit conc. tridentinum sess. c. 2., gratiam et donum poenitentiae concedens crimina et peccata etiam ingentia dimittit. **2.** Quatenus est sacrificium relaxat etiam *poenas temporales*, quae subinde peccati nomine, utpote hujus sequelae, designantur. **3.** Quatenus est *sacramentum* remittit *mediate* peccata venialia augendo caritatem et fervorem, et ut pluribus videtur, etiam peccata gravia (per accidens, sed ex opere operato), si quis bona fide in peccato mortali exsistens sed attritus eam susceperit. **4.** Delet *mediate* augendo gratiam, caritatem, fervorem *peccatorum reliquias* uti sunt habitus pravi etc. Denique **5.** delet peccata quatenus ab iis praeservat, cum augeat fervorem et ejus intuitu uberiora suppeditentur gratiae auxilia.

sionem illius reparamus.“ Quod autem per hoc Christo idem et homini Deo veraciter uniamur, nemo melius aut verius quam ipsa Veritas attestabitur, quae ait in Evangelio (Joa. 6, 57): *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.* Alio quoque Evangelii loco discipulus locutus est (Joa. 14, 20): *Vos cognoscetis, quia ego in Patre meo et vos in me, et ego in vobis.* Hoc, inquam, est Mediatoris nostri munus eximium, hoc est quod per Mediatorem adepti sumus inenarrabile beneficium, quia dum per communionem corporis et sanguinis sui ejus humanitati concorporamur, divinae quoque ejus substantiae, quae ei est una cum Patre, non solum fide, sed naturaliter participamus. Hinc s. Ambrosius: „Quomodo descendit panis e coelo et panis vivus? Quia idem Dominus noster Jesus Christus consors est divinitatis et corporis: et tu qui accipis carnem, divinae ejus substantiae in illo participaris alimento.“ Haec ille in 6. (c. 4) *de sacramentis* libro prosecutus est. Quicunque ergo per fidem manet in unitate corporis, quod est Ecclesia Christi, tunc vere dicendus est manducare carnem sanguinemque dominicum, cum non tantummodo recipit sacramentum,

sed etiam digne sumendo salutaris hujus remedii, divinae scilicet communionis verum sortitur effectum.

CAPUT XXI.

De virtute sacramenti eucharistialis.

Remotis tandem quae remotione visa sunt digna, aboletis etiam quae fides orthodoxa censuit abolenda, superest nunc, ut juxta sponsionis nostrae tenorem de sacrosancta eucharistia fidem, quam catholica tenet Ecclaesi, ad medium proferamus, ipsamque tam evangelicis quam apostolicis literis, nec non catholicorum patrum adjunctis sententiis, brevitate qua possumus adstruamus. Habet igitur ac firmissime tenet diffusa per orbem universalis Ecclesia Dei, creaturas visibiles, panem et vinum altaris per solemnem sacerdotalis officii consecrationem, ineffabili atque incomprehensibili virtute disponentis Dei, in essentiam dominici corporis sanguinisque converti, remanentibus praedictarum rerum speciebus cum quibusdam aliis qualitatibus, ipsumque verum corpus et sanguinem Christi non solum ore cordis sed etiam ore corporis de mensa dominica sumi a communicantibus, ipso Christi corpore illaeso incontaminato consistente in coelestibus, de

quibus singulis, quia sunt mirifica et inscrutabilia, magis testimonia sacrarum literarum sunt exspectanda quam conjecturis humanis ratio investiganda. Etenim sicut in libro contra Felicianum beatus asserit Augustinus [1]: „Facilius in negotiis fidei testimoniis creditur, quam ratio investigatur."

CAPUT XXII.

Professio fidei catholicae de sacrosancta eucharistia.

Ad ea vero probanda, quae protulimus, nihil validius nihilque potentius adhiberi poterit, quam id quod Salvator ipse de institutione eucharistiae legitur in Evangelio atque [2] dixisse. Accipiens enim Dominus Jesus panem, benedixit ac fregit deditque discipulis et ait (Matth. 26, 26): *Accipite et manducate; hoc est corpus meum.* Ac deinde porrigens calicem: *Hic est*, inquit, *sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ubi quamvis sacrarum rerum, quas supra tetigimus, inesse mysteria non negemus, quisquis tamen in his Domini verbis veritatem corporis et sanguinis sacri perspicue insi-

---

[1] Seu Vigilius tapsensis.

[2] Hic verbum aliquod excidisse videtur.

nuari non confitetur, quid aliud quam lucem evangelicam sub figurarum legalium umbram redigere molitur? Quod nimirum illi faciunt, qui quod dictum est: *Hoc est corpus meum*, sic accipiunt, quomodo illud quod Joseph interpretans somnium ait (Gen. 41, 26): *Septem boves pulchrae sive septem spicae pulchrae septem anni sunt*, cum nec spicae vere anni sint, sed annos tantum indicent. Et in Evangelio Dominus sub paparabola loquens (Matth. 13, 39): *Messis*, inquit, *consummatio seculi est*, id est consummationem seculi significat, et *messores angeli sunt*, hoc est figurate angelos exprimit. Sic, inquiunt, sentiendum est dici: *hoc est corpus meum*, non quod verum corpus esset, sed solummodo corpus significaret. De quorum vecordia seu potius impudentia admiratio me tenet non modica, quo pacto audeant comparare propriam locutionem docentis et instituentis Domini somniorum interpretationi ac parabolicae locutioni. Non enim Salvator aut somnium interpretabatur, aut tunc per parabolas loquebatur, sed sacro potius vitalis alimoniae instituto cunctis aperto sermone tradebat fidelibus, praecipue cum nequaquam dixerit, panis est corpus meum, sicut Joseph ait: *boves vel spicae*

anni sunt; aut sicut in illa parabola dictum est: *Messis est consummatio seculi*, sed absolute: *hoc est corpus meum.* Denique et articulus illius generis, qui posset de pane dictum ostendere, omnimode subtractus est, quia non dicitur: *hic est corpus meum*, sed, *hoc est corpus meum*. Quocirca cum constet, quod prius panem acceperit, ac post benedictionem nullam prorsus panis mentionem fecerit, sed tantum, *hoc est corpus meum*, ait, quis sanae mentis non intelligat, quod benedictione omnipotentis Verbi jam panis mutata substantia, veri corporis Christi patenter monstretur essentia? Verum et de potu calicis similiter dictum est: *Hic est sanguis meus novi Testamenti.* Legimus sanctum Moysen, jubente Deo, sicut et Apostolus testatur (Heb. 9, 20), cum hysopo lanaque coccinea hebraeorum populum sanguine aspersisse, et eadem fere verba tunc depromsisse, ita dicens: *Hic est sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus.* Percunctemur itaque fidei nostrae adversarios, utrum vere ac materialiter sanguis erat, de quo Moyses dicebat: *Hic est sanguis Testamenti?* Vere autem sanguinem, licet irrationabilium animalium illum fuisse quicunque negaverit, insipientiae multae vel pra-

vitatis argui poterit. Porro Moyses dixerat: *hic est sanguis*, et Veritas, quae Christus est, nihilo minus ait: *hic est sanguis.* Et ecce in verbis Moysis secundum historiae sensum de veritate sanguinis illius non dubitatur, et de verbis ipsius Veritatis infideliter disputatur. Illud, quod tempore legis mosaicae in umbra figurarum dicitur, absque ullo scrupulo in veritate gestum suscipiunt; hoc vero quod tempore revelatae jam gratiae ipsa Veritas loquitur, miseri homines ad figurarum tantum caliginem cum fidei periculo retorquere nituntur. *Hic est*, inquit Salvator, *sanguis* non brutorum animalium, sed *meus;* nec Testamenti veteris, quod mandavit Deus per servum, sed *Testamenti novi*, quod ego Deus et Dominus do vobis per memetipsum. Sane, ut evidentius clarescat adhuc, cum quanto fidei discrimine iste perversorum hominum sensus procedat (videamus) quid jam nobis conferat utilitatis testimonium Evangelii, quo perhibetur Deus Pater de Redemptore nostro dixisse (Matth. 3, 17): *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui*, sive illud beati Joannis Baptistae (Joh. 1, 34): *Et ego vidi et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Nempe si ita senserimus in eo, quod

dictum est: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, non quod vere corpus aut sanguis sit, sed solummodo corpus sanguinemque significet, nonne eadem effrenatione verborum poterit haereticus quilibet allegare, quod non ideo dictum est a Deo Patre: *Hic est Filius meus*, aut a s. Joanne: *Hic est Filius Dei*, quod vere sit Filius Dei, sed tantummodo significet Filium Dei? Perpendis, ut aestimo, ad quantum ecclesiasticae fidei detrimentum assertio tam maligna proserpit. Testatur autem apostolus Joannes, quod Dominus Jesus non in significatione, sed in veritate sit Filius Dei, dicens in epistola sua (5, 20): *Dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita aeterna.* Nec eo modo dicitur aut intelligitur verus Filius Dei, quomodo ipse dicitur verus agnus et vera vitis. Siquidem verus agnus veraque vitis dicitur congrue [1]), verus autem Filius Dei exsistit veritate substantiae. Quapropter cum christiana religio verum corpus Christi verumque sanguinem confitetur, non sic intelligit verum, sicut dicitur ipse Salvator vera vitis et verus agnus, sed ita po-

---

[1]) *Congrue* propter congruentiam, analogiam.

tius quemadmodum verus Dei Patris manet et creditur Filius. Hinc sacer antistes Ambrosius in 6. *de sacramentis* libro scripsit (c. 1.) dicens: „Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris; ita vera ejus caro est, sicut ipse dixit, quam accipimus, et verus ejus sanguis est quem potamus."

CAPUT XXIII.

Testimonium de Evangelio apud Paulum: *Accipite et comedite: hoc est corpus meum, et hic est* etc.

Doctor propterea gentium in fide et veritate Apostolus Paulus, nonne evidenti assertione in epistola prima ad Corinthios veritatem dominici corporis et sanguinis protestatur? Ait enim (1. Cor. 10, 16): *Calicem benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est?* Qui cum per haec verba sacramentum altaris, quod est corpus et sanguis Domini Salvatoris, apertius intimasset, e vestigio rem, quae per exteriorem panis vinique speciem sacramentaliter innuitur, subdendo declarat (Ibid. 17): *Unus panis,*

unum corpus multi sumus in Christo. „O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis! Qui vult vivere, habet unde vivat: accedat, credat, incorporetur ut vivificetur.“ Haec Augustinus in tractatu Evangelii (Tract. 26. in Jo.). In eadem quoque epistola memoratus Apostolus iterum scribit dicens (11, 23): *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam coenavit dicens: hic calix novum Testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducaverit panem et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Hoc nempe est, quod a Domino accepit et nobis tradidit, hoc est quod de mensa coelestis magisterii discendo accepit, et terrigenis propinavit. Ubi docendo, quamvis idem Apostolus non alia fere quam quae continet Evangelium scripserit,

et ex dominica institutione corpus Christi ac sanguinem manifesto sermone expresserit, non tamen ab re esse credimus, si verborum laqueos, quos errorum magistri de his Apostoli sermonibus tendere solent, ad medium proferamus, prolatosque congruis responsionibus excludamus. Fatentur enim moris esse Apostolo, ut sacramentum quodlibet ejus rei, cujus est sacramentum, notet vocabulo, quia solet in apostolicis sacrisque literis res, quae significat eius rei nomen sortiri, quam significat. Denique in epistola ad Romanos sic fideles alloquitur (6, 4): *Consepulti sumus Christo per baptismum in mortem.* Non ait *significavimus* sepulturam, sed prorsus ait: *consepulti sumus.* Sacramentum ergo tantae rei non nisi ejusdem rei vocabulo nuncupavit. Hoc enim s. Augustinus in epistola (Epist. 98) ad Bonifacium episcopum sentit et scripsit. Itemque in epistola ad Corinthios, cujus supra mentio facta est: *Patres*, inquit, *nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt.* Neque hic ait, baptismum *significaverunt*, sed omnino *baptizati sunt.* Et paulo post: *Petra erat Christus.* Non dixit petra significabat Christum, sed tamquam vere hoc esset, quod utique non erat

proprietate sed significatione. In epistola quoque ad Galatas de utroque Testamento sub comparatione Sarae et Agar disserens, liberam et ancillam absolute dixit esse duo Testamenta. Talia illis objicientibus nos quidem haec ita se habere denegamus, sed quorsum ista vergant solertius attendamus. Ostendimus, inquiunt, rem significantem significatae rei nomine nuncupari; more igitur suo Apostolus utens, res significantes idem panem et vinum corpus et sanguinem maluit appellare, quae sunt res non substantialiter verae, sed sacramentaliter significatae. Quibus proculdubio verbis inimici veritatis hoc omnimodis conantur adstruere, quod etiam post consecrationem, manente pristina panis vinique substantia, corpus ac sanguis Domini, non in veritate sumatur sed in significatione. Et horum quidem vesanae insaniae jam supra largius sufficienti probatione responsum putamus, sed non erit otiosum, si excogitatas de apostolicis verbis calumnias, veris adhuc per eundem apostolum rationibus confutemus. Itaque si diligenter inspicimus, quotiescunque memoratus Apostolus hunc loquendi morem tenuit, idemque rem quae significat, rei significatae vocabulo cenuit, ipse se per semetipsum exposuit.

Intuere nunc primum, quoniam cum dixisset: *Consepulti sumus Christo per baptismum in mortem, ut quomodo resurrexit Christus per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus*, repente subjunxit: *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.* Cum ergo locutioni suae similitudinem mortis inseruit, nonne luce clarius et commortuos et consepultos nos Christo per baptismum non rei proprietate, sed mysterii similitudine prodidit? Alias porro cum dixisset, patres nostros in Moyse baptizatos et petram esse Christum, velut exponens quod dixerat ipse subjecit (1. Cor. 10, 6): *Haec autem in figura facta sunt nostri.* Et post pauca: *Haec*, inquit, *omnia in figura contingebant illis* (Ibid. 11). Quibus nimirum verbis satis expressit, illos patres nostros nonnisi per significationem salutari baptismate baptizatos fuisse, petram quoque non per substantiam, sed per figuram Christum esse. Ubi vero dicturus erat liberam et ancillam duo esse Testamenta, nonne praemisit dicens (Gal. 4, 24): *Haec sunt per allegoriam dicta*? Intelligi quippe voluit, quo locutionis modo duas mulieres duo Testamenta esse firmaverit, non per verita-

tem essentiae, sed per tropum allegoriae. Proinde cum in hujusmodi sententiis suae locutionis modum competenter exponere, sicut ostendimus, solitus sit, nec eo in loco, ubi de Christi corpore ac sanguine sermonem faciebat, aut similitudinis aut figurae vel allegoriae mentionem prorsus adhibuit, proprio sine dubio locutionis more, non translato sermone se tunc usum fuisse palam praedocuit. Quare autem in apostolicis literis, maxime in Evangelio b. Joannis corpus Christi etiam post consecrationem sive panis sive buccella dicatur, in superioribus ratione a nobis reddita declaratur. Quia enim vera caro est illius panis, qui de coelo descendit, et sicut bucella panis humanis corporibus temporalem vitae hujus praestat alimoniam, sic sacer hic cibus animabus pariter et corporibus digne sumentium virtutis et immortalitatis gratiam confert et gloriam. Hunc denique panem ἐπιούσιον, id est supersubstantialem in Evangelio dici, viri aeque doctissimi Ambrosius (*de sacram.* lib. 5. n. 24) et Hieronymus testes exsistunt, propterea utique, quia omnes post Domini [1]) substan-

---

[1]) Videtur excidisse vox *substantiam*, vel similis.

tias superexcellit, sive quia rite communicantibus vitae aeternae substantiam de superius attribuit.

CAPUT XXIV.

Ex dictis s. Andreae apostoli.

Beatus nihilominus Andreas, qui virilis interpretatur, primum Baptistae Joannis, postmodum Christi Salvatoris discipulus, Simonis Petri frater et coapostolus, non quidem in eo libro, quem de se ipso Seleucius [1]) composuit, quemque probabiliter [2]) Ecclesia respuit, sed in historia passionis suae, quam Ecclesia venerabiliter suscepit, haec eadem de ratione eucharistiae tenuisse legitur ac

---

[1]) Sive Leucius Carinus manichaeus, qui confinxit plura acta apostolorum. Videsis Tischendorf, *acta apostolorum apocrypha*, prolog. p. 41. Fabricium, *Cod. apocr.* III. p. 604; Photium Cod. 114. et Lami *de erudit. Apostolorum* pagg. 167, 172, 179, 184, 404. Uccelli.

[2]) *Probabiliter*, merito, judicio, quod approbationem meretur. *Historia passionis*, quae mox citatur, est epistola presbyterorum Achajae de ejus passione, quae legitur apud Gallandium *bibl. patrum* 1, 156. Ejus quidem genuinitas ab eruditis negatur, est tamen semper monumentum venerandae antiquitatis et saltem sec. III.

docuisse: „Omnipotenti, inquit, Deo, qui vivus et verus est, ego omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem, sed agnum immaculatum (quotidie in ara crucis sacrifico), cujus carnes posteaquam omnis populus credentium manducaverit, et ejus sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est integer perseverat et vivus.“ Usitatissimo more Scripturae agnum immaculatum Dominum Jesum Christum apostolus nuncupavit, cujus carnes, sicut idem perhibet, postquam comestae fuerint a credentibus et ejus sanguis fuerit bibitus, ipse Salvator in coelestibus manet inviolatus et vivus. At forte dicturus es, quod tunc eidem dixerunt increduli: Quomodo potest hoc fieri? Inde ego si interrogatus fuero, breviter respondebo: prophetica simul et apostolica sententia est (Rom. 1, 17): *Justus ex fide vivit;* porro fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum. Haec autem de quibus agimus, sunt fidei mysteria, quae prorsus fidei sunt pietate credenda, non humana ratione discutienda. Haec utique sentite denique juxta Apostolum, (qui) se per fidem ambulare, et non per speciem recognoscit (2. Cor. 5, 7).

CAPUT XXV.

Ex libris b. Gregorii papae.

Majorum nostrorum, quos pastores et doctores Ecclesiae intelligimus, testimonia prolaturi, judicavimus ab ipsis probationis hujus exordium sumere, qui romanae Ecclesiae cathedram suis temporibus obtinentes apostolorum non minus fide quam sede successores egregii exstitere, per quorum pectora ab ipso fonte veritatis christianae fidei rivulus puro meatu ad nos usque profluxit. Ex quibus s. pater Gregorius praesul per omnia apostolicus in libro homiliarum scripsit haec dicens (Exod. 12, 7): *Sument de sanguine Agni, et ponent super utrumque postem*, quod exponens subintulit (*in Evang.* lib. 2. hom. 22): „Quis namque sit sanguis agni non jam audiendo, sed bibendo didicimus. Qui sanguis agni super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In utroque autem poste agni sanguis est positus, quando sacramentum passionis illius cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. Nam qui sic Redemptoris sui sanguinem accipit, ut imitari passionem illius necdum velit, in uno poste sanguinem po-

suit.“ Haec ille. Sed ne haereat aut amoveatur animo prudens lector, cum audit dici sacramentum passionis illius, reminiscatur potius, quod, salva veritate corporis et sanguinis Christi, sacramentum passionis illius in mensa dominica peragi jam supra plenius explicavimus. De qua re praefatus antistes post pauca subjunxit (Exod. 12, 8): „*Edent carnes nocte illa assas igni.* In nocte quippe agnum comedimus, qui in sacramento modico dominicum corpus accipimus, quando adhuc ad invicem nostras conscientias non videmus.“ Et paulo post apertius adhuc ita testatus est dicens: „Quid prodest corpus et sanguinem illius ore percipere et ei perversis moribus contrariare?“ Et item in eadem (homilia): „Carnes, inquit, agni cum lactucis agrestibus edendae sunt, ut cum corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis nostris in fletibus affligamus.“ Item in *libro Dialogorum* de sancta oblatione altaris loquens, sic exprimit dicens (l. 4. c. 58): „Christi quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur. Hujus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur.“

CAPUT XXVI.

Ex dictis Leonis papae.

Leo nihilominus papa, vir, sicut notum est, valde insignis vita ac doctrina, in sermone *de jejunio* mensis septimi (serm. 91.) ait inter cetera, sermone incipiendo „Devotionem fidelium, dilectissimi nostri:“ „Tunc munda est sacrificii oblatio et misericordiae sancta largitio, quando ii, qui ista dependunt, quod operantur intelligant. Nam dicente Domino: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Joan. 6, 54); sic sacrae mensae communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi et sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur; et frustra ab illis *amen* respondetur, a quibus contra id, quod accipitur, disputatur.“ Rursus idem in alio sermone *de passione Christi* (serm. 62. n. 3.) scribens: „Fefellit ergo, inquit, illum malignitas sua: intulit supplicium Filio Dei, quod cunctis filiis hominum in remedium verteretur. Fudit sanguinem justum, qui reconciliando mundo et pretium esset et poculum.“ His tam perspicuis doctorum illustrium testimoniis constat (et) per omnia in-

dubitanter elucet, nullatenus ambigendum de veritate corporis et sanguinis Christi, dum assertione tam manifesta audiamus corpus et sanguinem illius ore corporis accipi, eundemque Christi sanguinem, qui in manus quorundam infidelium fusus est, nunc jam in ora fidelium fundi.

CAPUT XXVII.

Ex libris b. Ambrosii archiepiscopi.

Praeterea s. Ambrosius eminenti post apostolos auctoritate conspicuus, profusius atque copiosius de his nonnulla conscribens in libro *de mysteriis* ait (c. 8. n. 47): „Revera mirabile est, quod manna Deus pluerit patribus, et quotidiano coeli pascebantur alimento. Unde dictum est (Ps. 77, 25): *Panem angelorum manducavit homo.* Sed tamen panem illum qui manducaverunt, omnes in deserto mortui sunt; ista autem esca quam accipis, iste panis vivus, qui de coelo descendit, vitae aeternae substantiam subministrat; et quicunque hunc manducaverit, non morietur in aeternum: et corpus est Christi. Considera nunc utrum praestantior sit panis angelorum an caro Christi, quae utique corpus est vitae. Manna illud e coelo,

hoc supra coelum: illud coeli, hoc Domini coelorum; illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur; hoc alienum ab omni corruptione, quod quicunque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis e Christo.“ Et paulo post (n. 49): „Potior est lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de coelo.“ (c. 9. n. 50).“ Forte dicas: aliud video, quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit; majoremque vim esse benedictionis quam naturae; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur? Virgam tenebat Moyses, projecit illam et facta est serpens. Rursus prehendit caudam serpentis, et in virgae naturam revertit. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam et serpentis et virgae? Currebant Aegypti flumina puro aquarum meatu, subito de fontium venis sanguis coepit erumpere. Non erat potus in fluviis. Rursus ad prophetae preces cruor cessavit fluminum, aquarum natura remeavit.“ Ac deinde post aliquanto, commemoratis nonnullis divinae

potentiae miraculis, quibus ineffabili Dei virtute rerum naturas saepius mutatas probavit, haec quoque subjunxit (n. 52): „Advertimus igitur majoris esse virtutis gratiam quam naturam, et adhuc tamen propheticae benedictionis numeramus gratiam? Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. De totius mundi operibus legistis (Ps. 148, 5): *Quia ipse dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt*; sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quae sunt in id mutare quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas. Numquid naturae usus praecessit, cum Jesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quaerimus, viro mixta femina generare consuevit. Et hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est. Quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine?“ Item in eodem (n. 58): „*Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (Ps. 33, 9). In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi.“ Item in

4. libro *de sacramentis* (c. 4. n. 14): „Tu forte dicis: meus panis usitatus est. Sed panis iste panis est ante verba sacramentorum: ubi accessit consecratio, de pane fit caro Christi.“ Et paulo post (n. 15): „Coelum non erat, mare non erat, terra non erat; sed audi dicentem David (Ps. 148, 5): *Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.* Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem: sed post consecrationem dico tibi, quia jam corpus Christi est. *Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.* Accipe quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare consueverit, et mutet, quando vult instituta naturae.“ Ac deinde adhibitis Scripturarum exemplis conclusit, item dicens (n. 19): „Ex his igitur omnibus non intelligitis, quantum operatur sermo coelestis? Ergo didicisti quod ex pane corpus fiat Christi, et quod vinum et aqua in calicem mittitur; sed fit sanguis consecratione verbi coelestis.“ Idemque post pauca (n. 20): „Didicisti ergo, quia quod accipis corpus est Christi.“ Item paulo post prosecutus est dicens (c. 5. n. 23): „Vide singula. *Qui pridie*, inquit, *quam pateretur in sanctis manibus suis accepit panem.* Antequam conse-

cretur, panis est; ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem: *Accipite et edite ex hoc omnes. Hoc enim est corpus meum.* Et ante verba Christi, calix est vini et aquae plenus. Ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse Dominus Jesus testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus et sanguinem. Numquid debemus de ejus fide et testificatione dubitare?“ Item atque item insistit commendans veritatem corporis et sanguinis Domini, et ait (n. 25): „Ergo non otiose dicis tu *amen*, jam in spiritu confitens, quod accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos: corpus Christi; et tu dicis amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.“ In 6. quoque libro *de sacramentis* illud, quod jam ante retulimus, testatus est dicens (c. 1): „Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris; ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, et verus ejus sanguis est potus;“ vel sicut in pluribus exemplaribus habetur: „et verus ejus sanguis est, quem potamus.“

Haec et hujusmodi nonnulla s. Ambrosius in suis voluminibus de veritate eucharistiae testificando deprompsit. Ubi cum audias evidenti probatione, quod consecratione verbi coelestis de pane fiat corpus Christi, de vino nihilominus fiat sanguis Christi, et post consecrationem non esse quod natura formavit idem panem et vinum, sed quod benedictio consecravit, id est corpus et sanguinem Christi Salvatoris, audias et congruis verborum argumentis simulque clarissimis gestarum rerum exemplis manifestissime ostensum, quod sermo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, potest id quod est in id mutare quod non erat, hocque idem sermo Christi in sacramento altaris efficiat, quis erit jam, quod tam perspicuae veritati ullatenus reluctari praevaleat? Plane qui hoc facere fuerit inventus, non tantum falsidicus, sed indubitanter se convincet haereticus.

CAPUT XXVIII.

Testimonia ex libris b. Augustini episcopi.

Procedat jam nunc sacer pontifex Augustinus, perhibeat etiam ipse testimonium veritatis de sacramentis coelestibus, ut quem isti habere se autumant suae pravitatis fau-

torem, nostrae veritatis esse sentiant validissimum defensorem. In homilia psalmi 33. sic ait (concione 2): „Accesserunt judaei ad Christum ut crucifigerent, nos ad eum accedamus, ut corpus ejus et sanguinem accipiamus.“ Item in eadem: „Vere magnus Dominus, et magna misericordia ejus, quae nobis dedit manducare corpus suum, in quo tanta perpessus est, et sanguinem suum bibere.“ Idemque in homilia psalmi 65 (n. 2): „Modo homicidis donatus est sanguis fusus innocentis, et ipsum sanguinem, quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt.“ Item in homilia psalmi 98. (n. 9), quod et supra posuimus: *Adorate scabellum pedum eius*: „Quaero quod sit scabellum pedum ejus. Et dicit mihi Scriptura (Isa. 66, 1): *Terra scabellum pedum meorum.* Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quaero hic et invenio, quomodo sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, qui caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in carne ipsa hic ambulavit, et ipsam nobis carnem ad manducandum ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est, quomodo adoretur scabellum

pedum ejus, ut non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.“ Item in sermone de verbis Evangelii: „Dominus Jesus ab eis, quorum oculi tenebantur in fractione panis, voluit se agnosci. Noverint fideles, sciunt quod dicam. Noverunt Christum in fractione panis. Non enim omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi fit corpus Christi.“ Item in expositione Evangelii secundum Joannem (tract. 32. n. 14): „Figura erat quod Dominus interrogavit: Quis me tetigit? Quasi ignorans ignoratam sanavit. Sic facit et gentibus. Non eum didicimus in carne, et meruimus carnem ejus manducare, et in carne ejus membra esse.“ Rursus in expositione, sive tractatu ejusdem Evangelii hom. 40: „Qui saevientes occiderunt, mutati crediderunt. Et quem sanguinem saeviendo fuderunt credendo biberunt.“ In libro quoque contra quinque haereses [1]) edito (n. 9) idem ipse loquens ad persecutores Christi ait (Ps. 36, 37): „*Quoniam sunt reliquiae homini pacifico*: Venistis, (ed. maur. saevistis) occidistis, sanguinem Christi fudistis. Increduli fuistis, in periculo positi estis. Quid facere nunc habetis, nisi

[1]) Hic liber tamen non est s. Augustini.

ut credentes baptizemini et bibatis sanguinem quem fudistis? Non est quod horreatis, fusus est sanguis medici, et factus est medicamentum phrenetici.“ Iterum super epistolam Joannis sic locutus est dicens (tract. 1): „Multi ex judaeis crediderunt, et dimissus est eis sanguis fusus Christi. Primo fuderunt cum saevirent, biberunt cum crederent.“ Sed et in libro 1. ad Januarium volens ostendere, quod a jejunis sumendum est corpus dominicum, ait (Epist. 198): „Liquido patet, quomodo primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Num tamen calumniandum est universae Ecclesiae, quod a jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os christiani prius dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi: nam ideo per universum orbem mos iste servatur.“ Rursus etiam in libro *de baptismo* (lib. 5. c. 8. n. 9) ut insinuaret, quod non solum boni quique et religiosi sed et mali accipiunt de altari dominicum sacramentum, id est corpus sanguinemque dominicum, quamvis iidem mali non sumant rem, idest virtutem sacramenti, quam esse diximus remissionem peccatorum divinaeque substantiae per Christum com-

munionem, quae solis debentur religiose sumentibus, ita testatus est dicens: „Sicut Judas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo totum se diabolo praebuit; sic indigne quisque sumens dominicum sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini et sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus (1. Cor. 11,29): *Qui manducat indigne, judicium sibi manducat et bibit.*“ Haec ex b. Augustini libris testimonia pauca de multis excepimus. Verum impugnatores fidei nostrae, quotiescunque in eisdem voluminibus corpus ac sanguinem Domini nominari audiunt, translatae locutionis modo non propriis verbis dici semper accipiunt. Quod omnino falsum est. Non enim s. doctor faceret, quod fieri prohibet. Prohibet autem sacri eloquii tractatorem translatis rerum vocabulis uti, cum illum obscure prohibet loqui, ita scribens in libro *de doctrina christiana* (lib. 4. c. 8): „Non ergo expositores eorum (prophetarum, scilicet et apostolorum) ita loqui debent, tamquam se et ipsi exponendos simili auctoritate proponant; sed in omnibus sermonibus suis primitus ac maxime, ut intelligantur,

elaborent ea quantum possunt perspicuitate docendi, ut aut multum tardus sit, qui non intelligit; aut in rerum quas explicare atque ostendere volumus difficultate atque subtilitate, non in nostra locutione sit causa, quo minus tradiusve quod dicitur possit intelligi.“

CAPUT XXIX.

De auctoritate Ecclesiae, et quis haereticus habendus sit.

Sufficere quidem arbitramur ista, quae de Scripturis divinitus inspiratis et earum tractatoribus exarata sunt, ad probationem rei, de qua agimus, dum etiam per omne operis hujus corpusculum, sicut et quando visum est, de divinis nihilominus literis rectae fidei congrua protulerimus. Verumtamen absque his ad assertionem partis nostrae sola nobis deberet sufficere auctoritas universalis Ecclesiae, adversus quam, sicut ipsa testatur Veritas, *portae inferi non poterunt praevalere* (Matth. 16, 18). Haec quippe de sacramento altaris, de veritate dominici corporis sanguinisque secundum professionem fidei nostrae, quam supra descripsimus, inconcussa per omnia firmitate ab initio tenet ac tenuit, taliter sensit, taliter docuit, dissen-

tientes publica excommunicatione damnavit, compunctos et confessos digna palam satisfactione reconciliavit. Ea propter quicunque hujus erroris favillam jam dudum imbre doctrinae coelestis exstinctam non timent reaccendere, et sectam hanc ab Ecclesia catholica per sanctos patres atque pastores prorsus jam praedamnatam non verentur asserere, mirum si se non intelligunt indubitanter haeresis crimen incurrere. Haereticus namque procul dubio est, qui catholicae Ecclesiae fidem relinquit, et sui vel alterius erroris viam sequitur et defendit.

CAPUT XXX.

Cur in dominica mensa etiam post consecrationem species panis maneat immutata.

Ceterum ut de professione fidei nostrae quod reliquum est exsequamur, quaerit fortasse aliquis, cur in mensa dominica panis vinique mutata substantia, etiam post consecrationem species utriusque remanet non mutata? De qua re plurima quidem nobis est copia respondendi, sed breviter intimandum, quod omnipotens Deus hac in re infirmitati nostrae misericorditer ac mirabiliter condescendit, fidei nobis meritum reservavit,

incredulis religioni christianae detrahendi occasionem subtraxit. Nempe, sicut notum est, hominum minime patitur consuetudo humanis visibiliter carnibus vesci, ac ideo si Salvatoris caro aut sanguis sicut est visibiliter cerneretur, horrori magis esset quam refectioni. Quis enim hoc ferret? imo quis non refugeret? Porro cum devitaretur horror carnis atque cruoris, jam non esset gratia remissionis. Denique accipe quod de his s. Ambrosius sentiat in 6. *de sacramentis* libro sic dicens (c. 1): „Forte dicas (quod dixerunt tunc temporis etiam discipuli Christi audientes dicentem (Joh. 6, 54): *Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non manebit in me, nec habebit vitam aeternam*), forte dicas: Quomodo vera? Similitudinem video, non video sanguinis veritatem. Primo omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur ut possit mutare et convertere genera instituta naturae. Deinde ubi non tulerunt sermonem Christi discipuli ejus, sed audientes quod carnem suam daret manducandum et sanguinem suum daret bibendum, recedebant, et solus tamen Petrus dixit (Joh. 6, 69): *Verba vitae habes, et ego a te quomodo recedam?* Ne igitur plures hoc dicerent, et veluti qui-

dam esset horror cruoris, sed maneret gratia Redemptoris; ideo in similitudine quidem accipis sacramenta, sed verae naturae gratiam virtutemque consequeris.“ Hactenus ille. Quod vero ait, in similitudine accipis sacramenta, similitudinem exteriorem panis ac vini speciem nominavit. Audivimus qua omnipotens divinitas provisione in vero Christi corpore ac sanguine priorem panis ac vini voluerit retinere, ut scilicet non esset horror, quem infirmitas humana refugeret, et esset salutaris refectio, unde nobis absolutionis utilitas proveniret. Fidei quoque meritum in hoc nobis divina pietas reservavit, quoniam sicut majorum tradit auctoritas, hoc veraciter dicitur credi, quod non valet videri. Quocirca si in mensa dominica, quae sacra sunt, sua specie visibiliter cerneremus, nullum jam nobis esset fidei meritum, cum praesens et proprium teneremus speciei corporalis experimentum. Teste autem Apostolo (2. Cor. 5, 7) interim *nunc per fidem ambulamus, et non per speciem.* Proinde cum jam in altari quod oculis non videmus incunctanter corde credimus, coeleste procul dubio gerimus sacramentum fidei mysterium, quod merito fidei pie sumentibus sit ad remedium. Postremo gentiles nonne quasi

juste christianis improperarent, si non in sacramento, sed in manifesto visionis corporalis experimento carnem occisi hominis comederemus et sanguinem biberemus? Mira igitur et salutifera Redemptor dispensatione nobis utrinque consuluit, ut in altari (dum) panis et vinum per consecrationem verbi coelestis in verum Christi corpus et sanguinem substantialiter convertantur, ac rerum praedictarum species cum sapore servetur, et fit quod salutem fidelibus conferat, et non fit quod improperiis gentilium pateat [1]).

CAPUT XXXI.

De corporali ac spirituali comestione corporis et sanguinis Domini Salvatoris.

Quod vero dominici corporis et sanguinis alimentum non solum ore cordis, sed ore corporis a communicantibus sumi in fidei nostrae professione superius diximus, non absque testificatione majorum id fecimus. Hinc enim s. papa Gregorius, sicut paulo

---

[1]) Hisce similia passim apud patres et scriptores ecclesiasticos leguntur, ut patet ex eorum testimoniis *opusc.* XXIII, 112. s. annot. et XXXVII, 51. ss.

ante commemoravimus, testatur dicens (l. 2. *homil. in Evang.* 22): „Sanguis agni super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.“ Unde liquido datur intelligi, quod salutaris haec alimonia dupliciter comedatur, corporali scilicet ac spirituali comestione caro Christi sanguisque sumatur. S. Gregorius (l. c.): „In utroque enim poste sanguis agni est positus, quando sacramentum passionis illius, cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur.“ Ore siquidem corporis percipitur ad redemptionem, corde autem concipitur ad imitationem: et de corporali quidem comestione loquebatur Salvator discipulis, cum diceret (1. Cor. 11, 24): *Accipite et comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* De spirituali vero comestione agebat, cum denunciaret dicens (Joh. 6, 57): *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo.* Neque enim omnis qui Christi carnem et sanguinem ore corporis manducat et bibit, in Christo manet, aut Christum in se manentem habet, sed qui spiritualiter et corde manducat, ipse utique in Christo et Christus manet in eo. Edit enim carnem ejus, mortificatio est vitae

imitando passionem ejus [1]), nec relinquens unitatem ejus. Hanc spiritalem comestionem insinuare volebat venerabilis Augustinus in tractatu Evangelii secundum Joannem (Tract. 26. n. 11.) ita dicens: „Videte, fratres, panem coelestem, spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera.“ Haec ille. Sunt autem quaedam Salvatoris eloquia, quae de utraque hac, corporali scilicet ac spirituali, comestione probabiliter possunt intelligi. Quale illud est (Joh. 6, 54): *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* Et (Ibid. 56): *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*, et cetera hujusmodi. Hic igitur ea, quae ad hunc vel ad illum sensum geminae comestionis jure possunt deflecti, diversis modis pro temporum vel rerum opportunitate exposuisse videntur doctores ecclesiastici. Intuere nunc. Divinae auctoritatis sententia est (Rom. 4, 22): *Credidit Abraham Deo, et reputa-*

---

[1]) Hic aliqua excidisse videntur. Forte legendum est: *Edere* enim *corde.*

tum est ei ad justitiam. Hoc uno sermone sancti apostoli Jacobus et Paulus propter opportunitatem audientium satis dissimiliter sunt usi. Jacobus quidem ut per hunc probaret non justificari hominem ex fide sine operibus: Paulus vero hoc ipso usus est, ut probaret justificari hominem per fidem sine operibus. Quod quia utrumque verum est, illo quisque eorum sensu uti voluit, quo potissime auditores suos indigere cognovit. Sic profecto cum ceteri sapientes ecclesiastici per haec Evangelii verba veritatem dominicae carnis et sanguinis, nec non veritatem corporalis comestionis senserint et docuerint, Augustinus tamen haec eadem in tractatu Evangelii et in aliis quibusdam suis opusculis ad spiritualem potius comestionem derivare voluit, quoniam mysticis ac moralibus institutis auditores suos magis instrui oportere praevidit. Porro neuter eorum sensus excludit alterum, quia uterque catholicus, uterque divinus.

CAPUT XXXII.

Responsio ad eos, qui insultando inepta quaedam atque blasphema quaerere solent de Christi corpore.

Opere pretium est illorum quoque dementiam seu potius blasphemiam responsione nostra comprimere, qui non percunctando, sed magis insultando quaerere consueverint dicentes, cum constet Salvatoris corpus post mortis ignominiam, post resurrectionis gloriam virtute divinitatis ad coelos assumptum, et sicut refert Scriptura, ad Patris dexteram collocatum, quomodo poterit esse quotidie in altari et a participantibus comedi, nisi forte per invocationem sacerdotum quotidie manducandum detrahatur ab illa sede coelesti? Quod si fieret, nonne jam multoties illud unum Redemptoris corpus ab edentibus esset ex toto consumptum per tot annorum curricula in tot altaribus a presbyteris distributum? Haec quidam quaerere solent, quorum interrogatio subsannatio est. Istud quaerere abnegatio est, quasi propterea non possit immensus et excelsus atque omnipotens Deus vel ista vel quaecunque voluerit facere, quia miseri homines, terra scilicet et cinis, modum rationemque ipsorum operum nequeunt comprehendere. Sic quippe

in altaris sacramento divinam praesumunt investigare potentiam, tamquam ceterorum omnium, quae mirabiliter, ineffabiliter, nec non incomprehensibiliter fecit aut facit, sint assecuti notitiam. Dicit autem Ecclesiastes (8, 17): *Intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem, eorum quae fiunt sub sole: et quanto plus laboraverit ad quaerendum, tanto minus inveniet. Etiam si dixerit sapiens se nosse, non potest reperire.* Legimus denique in libro Numerorum, quod jubente Deo per Moysen Caathitae levitae vasa tabernaculi non nisi velata solebant portare, nullaque curiositate discooperta vascula praesumebant aspicere. Scriptum namque est (Num. 4, 15): *Cum involverint Aaron et filii ejus sanctuarium et vasa ejus in commutatione castrorum, tunc intrabunt filii Caath, ut portent involuta, et non tangant vasa sanctuarii, ne moriantur.* Et paulo post (Ibid. 19. 20): *Aaron et filii ejus intrabunt, ipsique disponent opera singulorum, et divident quid portare quis debeat. Alii nulla curiositate videant quae sunt in sanctuario, priusquam involvantur, alioquin morientur.* Quid enim sunt per figuram illa sacri tabernaculi utensilia nisi Ecclesiae sacramenta divina scilicet, quae in

Ecclesia Christi geruntur mysteria? Quae tunc nimirum involuta et operta portamus, cum eadem ecclesiastica sacramenta sint, etiam non intellecta venerando servamus. Portamus quae non videmus, cum instituta divina fideliter observando gerimus, quae ratione minime comprehendimus. Solus Aaron et filii ejus sanctuarii penetralia poterant ingredi et licenter secreta quaelibet intueri, quia Christus et ejus apostoli possunt coelestium sacramentorum arcana cognoscere, et nobis ea nescientibus quando vel qualiter sint observanda, mandare. Praeter hos autem quisquis aliorum incauta curiositate vasa sanctuarii non involuta, sed detecta videre tentaverit, repentina morte temerarius interibit. Nempe quoniam (Rom. 1, 17) *justus ex fide vivit*, quicunque in fidei mysteriis curiosa temeritate rationis humanae quaesierit experimentum, exitiale procul dubio fidei incurrit dispendium. Hinc quoque scriptum est (Eccl. 3, 22): *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris.* Et Apostolus (Rom. 12, 3): *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad*[1]) *temperantiam.* Et sanctus Papa Gregorius in

[1]) Vulg. *sobrietatem.*

libro *homiliarum* sic ait (hom. in Evang. 26): „Divina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum.“ Verumtamen novimus, quod verbum ab ore praedicantis in populos prolatum, si convenienter ab omnibus intelligitur, in omnibus totum est, et in singulis totum.

FLORI DIACONI

OPUSCULUM

DE

EXPOSITIONE MISSAE [1]).

---

1. Incipit opusculum de actione missarum collectum quam maxime, et in ordinem

---

[1]) Cum eucharistia non solum sit sacramentum, sed et sacrificium, aliud edimus opusculum, quo haec praerogativa illustretur. Diu deliberantibus nobis peropportuna visa est eximia aeque ac pia *expositio missae* a Floro diacono conscripta. Floruit Florus medio seculo IX., deque eo fere nihil aliud scimus, quam quod Wandelbertus scribit (in praef. ad suum *martyrologium*): „Ope et subsidio praecipue usus sum sancti et nominatissimi Flori, lugdunensis ecclesiae subdiaconi (subinde diaconus audit), qui ut nostro tempore revera singulari studio et assiduitate in Scripturae scientia pollere, ita librorum authenticorum non mediocri copia et veritate cognoscitur abundare.“ Adversus Joannem Scotum scripsit a. 852. nomine ecclesiae lugdunensis ad id electus, ut Mauguino *diss. hist.* c. 10. p. 156. videtur, quod in

digestum [1]) ex verbis sanctorum patrum Cypriani, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Gregorii, Fulgentii, Severiani, Vigilii, Isidori, Bedae, Aviti, sicut suis locis per singula litterae nominum, quae forinsecus praenotantur, ostendunt; sed et ex antiquis mysteriorum libris [2]) quaedam verba necessario sum-

---

sermone quodam ab Hincmaro memorato insigne specimen ediderat doctrinae suae de praescientia et praedestinatione. Eum versatum fuisse in ss. patribus testatur hic libellus, cui inseruit apte praeclarissima eorundem sensa. Edidit illum Petrus Franciscus Chifflet, sed longe integrius Martene cum Ursino Durando in *veterum scriptorum et monumentorum collectione* t. 9. pag. 579. ss., ex qua transiit in *patrologiae cursum completum* cl. Migne 119, 15. ss. Dolendum tamen est utriusque editionem esse mendosam ac subinde excidisse verba, ut vix sensus extundi possit. In defectu codd. mss. plura conjecturis innixi emendare sategimus, quae in annotationibus subjectis indicare non praetermisimus. Nemo vero leget hanc expositionem missae, quin sagacem auctoris ingenium miretur uberemque colligat fructum, ut vel missae sacrificium devote offerat vel pie eidem assistat.

[1]) Per *actionem missarum* auctores liturgici eam missae partem, quam modo dicimus *canonem*, intelligunt.

[2]) *Mysteriorum libris* i. e. sacramentariis et ordinibus, in quibus continebantur sacrae preces in missa pro ratione dierum et festorum recitandae.

pta. Quod autem eadem nomina in ipsa opusculi serie ubique inserta non sunt, illa necessitas fecit, ne frequens eorum interpositio fieret absurda et incommoda ipsius dictionis et sensuum interruptio. In qua tamen expositiuncula non tam verba, quae satis simplicia sunt, sed potius ipsius mysterii ratio et actio imponitur et commendatur, videlicet, qua fide celebrandum, quanta pietate sit amplectendum.

2. In mysterio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quod sancta Ecclesia per universum mundum pro salute ejusdem mundi offert, maxime nobis humilitas commendatur. „Unum [1]) enim nobis fecit idem Dominus Jesus Christus per humilitatem, quia per superbiam recesseramus a Deo: redire autem ad eum nisi per humilitatem non poteramus, et quem nobis proponeremus ad imitandum, non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum superbia tumebat, et si exsisteret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erant prophetae et patriarchae, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines.

---

[1]) Sunt haec verba Augustini liberius, transcripta enarr. 1. *Ps.* 33 n. 4. 5. 6., apud quem legitur *viam* pro *unum* et quidem longe melius.

Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei. Erant autem, ut legimus, sacrificia antea judaeorum secundum Aaron in victimis pecorum, et hoc in mysterio; nondum erat sacrificium corporis et sanguinis Domini, quod nunc diffusum est toto orbe terrarum. Proponamus nobis ergo ante oculos duo sacrificia, et illud secundum ordinem Aaron, et hoc secundum ordinem Melchisedech. Scriptum est enim: *Juravit Dominus, et non poenitebit eum, tu es sacerdos (in aeternum) secundum ordinem Melchisedech* (Psal. 109, 4). Hoc autem manifeste dicitur de Domino nostro Jesu Christo. Quis ergo erat Melchisedech? utique, sicut legimus, rex Salem. Salem civitas fuit antea illa, quae postea, sicut docti prodiderunt, Jerusalem dicta est. Ergo antequam ibi regnarent judaei, ibi erat ille sacerdos Melchisedech, qui scribitur in Genesi sacerdos Dei excelsi. Ipse occurrit Abrahae, quando liberavit Loth de manibus persequentium, et prostravit eos a quibus ille feriebatur, et liberavit fratrem. Post liberationem fratris occurrit ei Melchisedech. Tantus erat Melchisedech, a quo benediceretur Abraham. Protulit panem et vinum et

benedixit Abraham, et dedit ei decimas Abraham. Vide quid protulit et quem benedixit, et dictum est postea: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* David hoc in spiritu dixit longe post Abraham. Temporibus autem Abrahae fuit Melchisedech. De quo ergo alio dicit: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*, nisi de illo, cujus novimus sacrificium?"

3. „Sublatum est enim sacrificium Aaron, et coepit esse sacrificium secundum ordinem Melchisedech, Dominus itaque noster Jesus Christus in corpore et sanguine suo voluit esse salutem nostram. Unde autem commendavit corpus et sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Joan. 1, 1). Ecce cibus sempiternus; sed manducant angeli, manducant sempiternae virtutes, manducant coelestes spiritus, et manducant et saginantur, et integrum manet quod eos satiat et laetificat. Quid autem homo posset ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo, ut mensa illa lactesceret, et ad parvulos per-

veniret. Unde autem fit tibi [1]) lac? unde autem cibus in lac convertitur, nisi per carnem trajiciatur? Nam mater hoc facit; quod manducat mater, hoc manducat infans; sed quia minus idoneus est infans qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, et utilitate mamillae et lactis succo de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pavit nos sapientia Dei? Quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Joan. 1, 14). Vide ergo humilitatem, quia panem angelorum manducavit homo. Et scriptum est: *Panem coeli dedit eis, panem angelorum manducavit homo* (Psal. 77, 24), id est Verbum illud, quo pascuntur angeli sempiternum, quod est aequale Patri, manducavit homo, quia *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo* (Phil. 2, 6). Saginantur illo angeli; sed *semetip-*

---

[1]) *Tibi.* Augustinus l. c. habet: „Unde autem fit *cibus* lac.“ Infra pro „utilitate mamillae et lactis succo,“ habet „per humilitatem mamillae et lactis succum.“ Sunt nonnullae aliae lectionis varietates, quas tamen non indicabimus, cum sensum non mutent. Ceterum notetur haec tam sublimis simul ac sapiens ratio, quare Dei Filius naturam humanam assumpserit volueritque corpus suum et sanguinem in eucharistia tradere manducandum.

sum exinanivit, ut manducaret panem angelorum homo, *formam servi accipiens in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, ut jam de cruce commendaretur nobis caro et sanguis Domini novum sacrificium."

4. Ipse ergo „a Domino [1]) Deo missus sacerdos noster, assumpsit a nobis quod offerret Deo. Illas sanctas primitias carnis ex utero Virginis holocaustum obtulit Deo: extendit manus in cruce, ut diceret: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (Psal. 149, 2), sicut novimus, quia Dominus circa vesperam pependit in cruce, et impietates nostrae propitiatae sunt; alioquin absorbuerant nos [2])." Merito illi cantavimus in psalmo: „*Et impietates nostras tu propitiabis* (Psal. 64, 4). Tu sacerdos, tu victima, tu oblator, tu oblatio. Ipse sacerdos est, qui nunc ingressus est interi-

---

[1]) Haec sunt s. Augustini ex enarr. in Ps. 64. n. 6.

[2]) Hic quaedam ex s. Augustino praetermittit, et de suo inserit: „Merito illi cantavimus in psalmo." Quae sequuntur iterum sunt Augustini.

ora veli. Solus ibi ex his, qui carnem gestaverunt, interpellat pro nobis. In cujus rei figura in illo primo populo et in illo primo templo unus sacerdos intrabat in Sancta sanctorum (Heb. 9, 7), populus omnis foris stabat, et ille qui solus ingrediebatur interiora veli, offerebat sacrificium pro populo foris stante..... Quid enim ageretur in illo populo, judaei nescierunt; sed nec modo sciunt; de illis quippe dictum est: *Quamdiu legitur Moyses, velamen supra cor eorum positum est* (2. Cor. 3, 15), ibi velamen figura est; sed tolletur figura, et apparebit veritas. Sed quando tolletur velamen? audi Apostolum: *Cum autem transieris ad Dominum, auferetur velamen* (Ibid. vers. 16).... Propitiatis ergo peccatis nostris et impietatibus per illud sacrificium vespertinum, transimus ad Dominum, et auferetur velamen. Propterea et Domino crucifixo velum templi scissum est."

5. Itaque nec carnem praeputii circumcidimus juxta ritum mosaicae legis, nec abstinemus carnibus, quas eadem lex dicit immundas, nec sabbata et neomenias et dies festos eorum carnaliter observamus, nec victimas pecorum sacrificamus Deo, nec pascha in ove et azymis similiter celebramus, et si

quae alia fuerunt vetera sacramenta, quae omnia umbras futurorum appelat Apostolus, quia ea significabant suo tempore revelanda, quae nos revelata percipimus, ut remota umbra nuda eorum luce frueremur. Nam et exuendo veterem hominem circumcidimur in exspoliatione corporis carnis, et quos cibos illi vetant in pecoribus, nos vitamus in moribus, et exhibemus corpora nostra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, cui et animas nostras in desideriis suis pro sanguine intelligenter effundimus [1]), et Christi velut Agni immaculati sanguine ab omni iniquitate mundamur, qui propter similitudinem carnis peccati etiam caprino pecore in veteribus sacrificiis figuratur, nec eum negat in crucis cornibus taurum, qui in illo cognoscit maximam victimam. In illo requiem cum invenimus, vere sabbatizamus, et lunae novae observatio vitae novae est sanctificatio, et pascha nostrum est Christus, et azymus noster sinceritas veritatis, fermentum non habens vetustatis; et quaecunque alia illis ve-

---

[1]) *Intelligenter effundimus.* Pro sanguine animalium, in quo horum anima est (Lev. 17, 11), effundimus, immolamus Deo animas nostras spirituali modo mortificando ejus prava desideria etc.

teribus adumbrata sunt signis, in isto habent finem, cujus regni non erit finis. In illo quippe omnia oportebat impleri, qui venit legem et prophetas non solvere, sed implere. Proinde illa vetera signa rerum non evacuavit arguendo, sed implendo mutavit, ut alia essent, quae nunciarent venisse jam Christum, quam fuerant illa, quae praenunciabant esse venturum.

6. Quoniam ergo, sicut scriptum est in Cantico canticorum, *aspiravit dies* (Cant. 2, 17), removeantur umbrae; spiritualis significatio jam lucescat, carnalis celebratio jam quiescat, audiamus Dominum vetera judaeorum sacrificia repudiantem, et novum Christi sacrificium apertissime promittentem per Malachiam prophetam dicentem: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia nomen meum magnum est in gentibus, dicit Dominus exercituum* (Malach. 1, 10). Certe hic negare non possunt judaei, non solum non accipere sacrificium de manibus eorum, sed nec se illi offerre manibus suis. Locus enim unus est lege Domini constitutus, ubi manibus

eorum sacrificia jussit offerre, praeter quem locum omnino prohibuit. Hunc ergo locum, quem pro suis meritis amiserunt, etiam sacrificium, quod ibi tantum licebat offerri, in locis aliis offerre non audent. Ecce omnimodo impletum est, quod ait propheta: *Et munus non suscipiam de manibus vestris.* Neque hoc ita praedictum et impletum est, ut eos prophetica sententia respondere permittat: quia manibus non offerimus carnem, corde et ore offerimus laudem, secundum illud in psalmo: *Immola Dei sacrificium laudis etiam* (Psal. 49, 14), hinc enim contradicit eis qui dicit: *Non est mihi voluntas mea in vobis.*

7. Deinde ne existiment judaei, quod illis non offerentibus, nec illo accipiente de manibus eorum, Deo sacrificium non offeratur, quo quidem ille non eget, qui bonorum nostrorum nullius indiget: tamen quia sine sacrificio non est, quod non illi, sed nobis utile est, audiant ipsum Dominum contestantem, imo aperiant oculos et videant, quia *ab ortu solis usque ad occasum*, non in uno, sicut in illis fuerat constitutum, sed *in omni loco* offertur sacrificium christianorum, nec cuilibet Deo, sed ei qui ista praedixit Deo Israel. Unde alibi dicit Ecclesiae suae: *Et*

Redemptor tuus Deus Israel, Deus universae terrae vocabitur (Isa. 54, 5). Hoc sacrificium mundum offertur Deo Israel, non ab una gente judaeorum, de cujus manibus non se accepturum praedixit, sed ab omnibus gentibus, quae dicant: *Venite ascendamus ad montem Domini;* nec in uno loco, sicut praeceptum erat in terrena Jerusalem, sed in omni loco usque in ipsam Jerusalem; nec secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. Christo enim dictum est, et de Christo tantummodo ante praedictum est: *Juravit Dominus et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* (Psal. 109, 4). Quid est *juravit Dominus* nisi inconcussa veritate firmavit? Et quid est *non poenitebit eum*, nisi hoc sacerdotium nulla alia ratione mutabit? neque enim sicut hominem poenitet Deum, sed Dei dicitur poenitentia quaevis ab illo institutae rei cujusque mutatio, quae credebatur esse mansura, proinde cum dicit, *non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*, satis ostendit eum poenituisse, hoc est eum mutare voluisse sacerdotium, quod constituerat secundum ordinem Aaron, sicut de utroque videmus impletum. Nam et Aa-

ron sacerdotium jam nullum est in aliquo templo, et Christi sacerdotium aeternum perseverat in coelo. (Ex Augustini *tr. adv. judaeos* n. 13).

8. Hunc sacerdotem et hoc sacerdotium magnifice commendat apostolus, cum gratiam Evangelii a legalibus caeremoniis distinguens, scribit ad Hebraeos: *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, eo quod morte prohiberentur permanere; hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium: unde et salvare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro eis. Talis decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior coelis factus, qui non haberet quotidie necessitatem, quemadmodum sacerdotes, primo pro suis peccatis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel seipsum offerendo* (Hebr. 7, 28). Et iterum: *Talem habemus pontificem, qui consedit ad dextram majestatis in coelis, sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fecit Deus et homo* (Hebr. 8, 1).

9. Sancti ergo patres nostri in veteri testamento uni Deo et Creatori omnium victimas obtulerunt, quas sibi ipse offerri voluit, per

earum similitudinem promittens victimam veram, per quam nos sibi peccatorum remissione reconciliavit in Christo Jesu Domino nostro, ut ei offerretur similitudo promittens veritatem sacrificii, cui erat offerenda ipsa reddita veritas in passione corporis et sanguinis Christi. Hujus sacrificii caro et sanguis ante adventum Christi per victimas similitudine promittebatur, in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum Christi per sacramentum memoria celebratur. „Proinde prima sacramenta, quae observantur et celebrantur ex lege, praenunciativa erant Christi venturi, quae cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt; et ideo ablata quia impleta, non enim venit solvere legem sed adimplere. Alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tamquam justitia fidei revelata, et in libertate vocatis filiis Dei jugo servitutis ablato, quod duro et carni dedito populo congruebat[1]),“ qualia sunt in Ecclesia baptismus Christi, eucharistia Christi, signaculum Christi[2]).

---

[1]) Sunt haec verba s. Augustini ex l. 19 *contra Faustum* c. 13.

[2]) *Signaculum Christi* i. e. confirmationis sacramentum. Recenset haec tria sacramenta speciminis

10. Hinc est quod cautissimo divisionis ordine Ecclesia Dei vivi, quae est columna et firmamentum veritatis, tempora venturi Christi venientisque discernit, et omissis sacrificiis, quibus Christus passurus promittebatur, hoc sacrificium offert, quo Christus jam passus ostenditur, qui propterea verus est sacerdos, quia semetipsum veram pro nobis hostiam obtulit, sicut Apostolus testatur dicens: *Estote ergo imitatores Dei sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (Ephes. 5, 1. s.), ut in ipso sacerdote ac sacrificio fieret remissio peccatorum, id est per mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum, per quem facta peccatorum purgatione reconciliamur Deo. Non enim nisi peccatis homines separantur a Deo, quorum in hac vita non fit nostra virtute, sed divina miseratione purgatio per indulgentiam illius,

---

gratia, non quasi haec tria solum sint N. L. sacramenta. Et revera in his tribus maxime cernuntur illae praerogativae, quibus sacramenta N. L. praecellunt sacramenta V. T. et quas innuerat verbis s. Augustini dicentis, sacramenta N. T. esse „virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora.“

non per nostram potentiam, quia et ipsa quantulacunque virtus, quae dicitur nostra, illius est nobis bonitate concessa.

11. Propterea ergo nobis per Mediatorem praestita est gratia, ut polluti carne peccati carnis peccati similitudine mundaremur, per hoc scilicet quod eramus et non eramus. Eramus enim homines, sed justi non eramus; in illius autem incarnatione natura humana erat, sed justa, non peccatrix erat. Haec est mediatio, qua manus lapsis jacentibusque porrecta est. Hoc est semen dispositum per angelos, in quorum edictis et lex dabatur, quia et unus Deus coli jubebatur, et hic mediator venturus promittebatur. Hujus sacramenti fide etiam justi antiqui mundari pie vivendo meruerunt, sicut beatus Petrus apostolus ad quosdam, qui in lege justificari quaerebant, manifeste testatur, dicens: *Quid tentatis Dominum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? sed per fidem Domini Jesu credimus salvari, quemadmodum et illi* (Act. 15, 10). Omnis itaque hominum multitudo, propter quos a daemonum dominatione liberandos Christus advenit, in illo habent misericordissimam purgationem et mentis et spiritus et corporis

sui. Propterea quippe totum hominem sine peccato ille suscepit, ut totum quo constat homo, a peccatorum peste sanaret. Gratia quippe Dei non potuit gratius commendari, quam ut ipse unicus Dei Filius in se incommutabiliter manens, indueret hominem, et spem dilectionis suae donaret hominibus homine medio, qua ad illum ab hominibus iretur, qui tam longe erat, immortalis a mortalibus, incommutabilis a commutabilibus, justus ab impiis, beatus a miseris, et quia naturaliter indidit nobis, ut beati immortalesque esse cupiamus, manens beatus suscipiensque mortalem, ut nobis tribueret quod amamus, perpetiendo docuit contemnere quod timemus. Hac Dei gratia, qua in nos ostendit magnam misericordiam suam, et in hac vita per fidem regimur, et post hanc vitam per ipsam speciem incommutabilis veritatis ad perfectionem plenissimam perducimur.

12. Hanc igitur gratiam purgationis et redemptionis nostrae, quam nobis Dominus et Salvator in sacramento sui corporis et sanguinis commendavit, longe antequam pateretur in populis praedicavit; sed pridie quam pateretur, id est ea nocte, qua tradebatur, in coena discipulis suis tradidit. Nam beatus Joannes evangelista statim post illud

de quinque panibus miraculum, quo in quinque millia hominum satiata sunt, narrat eum fugisse in montem, declinando scilicet a turbis, quae tanti signi admiratione permotae, cupiebant rapere et facere eum regem, et mox veniente nocte ambulantem super mare venisse Capharnaum, atque ibi jam die altera occurrentibus sibi turbis et inter alia quaerentibus et dicentibus: *Quid faciemus, ut operemur opera Dei?* respondisse eis: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Cumque respondissent: *Quod ergo tu signum facis, ut videamus et credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manna manducaverunt in deserto, sicut scriptum est: Panem de coelo dedit eis manducare. Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de coelo, sed Pater meus dat vobis panem de coelo verum. Panis enim Dei est, qui descendit de coelo et dat vitam mundo.* Et post paulum: *Ego sum panis vitae, qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet unquam.* Et iterum: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam aeternam. Ego sum panis vitae: patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt. Hic est panis de coelo descendens,*

ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et rursus post aliqua: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Post hoc subjunxit evangelista: *Haec dixit in synagoga docens in Capharnaum* (Joan. 6, 28, 35, 47, 54, 59), quod totum, sicut ipse Evangelii secundum Joannem textus ostendit, manifeste anno integro ante passionem Domini gestum est. Nam sicut idem evangelista scribit, quando illud de quinque panibus miraculum factum est, *proximum erat pascha, dies festus judaeorum* (Ibid. vers. 4); nec tamen in ipso, sed in pascha anni sequentis eum ad passionem venisse

commemorat. Hinc est quod in illa coena paschali, quando Dominus traditus est, nihil de ipso corporis et sanguinis ejus mysterio idem beatus Joannes commemorat; quia videlicet copiosius hoc et sublimius in praecedentibus Evangelii sui partibus explicaverat, et a reliquis tribus evangelistis, quod in eadem coena in commemoratione dominicae passionis ad salutem fidelium fuerat traditum, diligenter noverat commendatum. Verba quippe Matthaei haec sunt: *Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, et fregit, deditque discipulis suis et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (Matth. 26, 26). Marcus vero sic ait: *Et manducantibus illis, accepit Jesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite: Hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis. Et biberunt ex illo omnes, et ait illis: Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effunditur* (Marc. 14, 22). Lucae vero his verbis narratio explicatur: *Et accepto calice gratias egit, et dixit: Accipite et di-*

vidite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam coenavit dicens: Hic calix novum Testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis funditur (Luc. 22, 17). Beatus etiam Paulus, commemorans sacratissimae illius coenae mysterium, inter alia sic dicit: *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam coenavit dicens: Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem* (1. Cor. 11, 25). Quantum est istud et ineffabile salutis mysterium et pietatis sacramentum, tanta contestatione praedictum, tanta veritate commendatum, ut prius hoc Dominus corpus et sanguinem suum assereret, quam pro nobis suum corpus et sanguinem traderet? nemo enim potest passionis Domini corpo-

risque ejus et sanguinis pro majestate rei sacramenta cognoscere.

13. Notandum quoque diligenter, quod „in eadem coena et judaicum Dominus pascha comedit, quod oportebat auferri [1]), et sacramentum corporis sui et sanguinis dedit, quod ad salutem fidelium oportebat institui. *Desiderio*, inquit (Luc. 22, 15), *desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Manducavit ergo pascha, quo passurus significabatur, antequam pro nobis voluntarie pateretur.“ Comedit pascha judaeorum, quo promissus est Christus, ut veniret ad pascha nostrum, quod immolatus est Christus.

14. Aperte enim dicit Evangelium, quod manducantibus illis accepit Jesus panem et benedixit; „cum etiam [2]) superius dixisset (Matth. 26, 20. s.): *Cum sero autem factum esset, discumbebat cum duodecim. Et man-*

---

[1]) Haec sunt s. Fulgentii ep. 14. *ad Ferrandum* n. 14. Legitur autem in editis *offerri*; sed fatendum est meliorem esse lectionem Flori *auferri*, quae etiam melius cum contextu cohaeret et apte respondet verbo *institui*. Est enim sermo de vetere paschate abrogando deque novo instituendo.

[2]) Haec desumpta sunt ex Augustini ep. 54. *ad Januarium* n. 7. s.

ducantibus illis dixit: Unus ex vobis tradet me; postea enim tradidit sacramentum; unde liquido apparet, quando primo acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos; nequaquam tamen propterea calumniandum est universae Ecclesiae, quod a jejunis semper accipitur. Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os christiani dominicum prius intraret, quam ceteri cibi. Ideo enim per universum orbem mos iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut coenati fratres ad illud sacramentum accipiendum convenire debebunt, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit et emendat, mensis suis ista miscere [1]); ait enim: *Convenientibus vobis in unum, jam non est dominicam coenam manducare* (1. Cor. 11, 18), hanc ipsam acceptionem eucharistiae dominicam coenam vocans. *Unusquisque enim,* inquit, *suam coenam praeoccupat ad manducandum* (Ibid. vers. 21); unde et indigne dicit acceptum ab eis, qui non discernebant a ce-

---

[1]) Quae mox sequuntur usque ad *corpus Domini* perturbate nonnihil ex Augustino adducit, quaedam etiam de suo interserit.

teris cibis veneratione singulariter debita. Continuo quippe cum dixisset: *Judicium sibi manducat et bibit*, subjecit, *non dijudicans corpus Domini* (Ibid. vers. 29); namque Salvator quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus et memoriae discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat; et ideo non praecipit, quo deinceps ordine sumeretur, ut apostolis, per quos ordine Ecclesias disposuerat, servaret hunc locum."

15. (Cyprianus epist. 63. *ad Caecil.* n. 16). Neque enim quia post coenam calicem obtulit Dominus, etiam dominici diei sacrificium post coenam celebrare debemus. „Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet occasum et vesperam mundi, sicut de paschali agno in Exodo scriptum est: *Et immolabit eum omnis multitudo filiorum Israel ad vesperam* (Exod. 12, 6). Et iterum in psalmis: *Allevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (Psal. 140, 2)."

16. Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus. „Cum vero ait Apostolus de hoc sacramento loquens: *Propter quod, fratres, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate. Si quis esurit, domi*

manducet, ut non in judicium conveniatis, statim subtexuit, *cetera autem cum venero ordinabo* (1. Cor. 11, 33). Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in epistola totum illis agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla horum diversitate variatur [1])." Nam et ubi ad Timotheum scribens ait: *Obsecro itaque primo omnium fieri obsecrationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones* (1. Tim. 2, 1), hoc constituisse intelligitur [2]), „quod, omnis vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut *obsecrationes* accipiamus dictas, quae fiunt in celebratione sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici; *orationes* cum benedicitur et sanctificatur, et ad distribuendum comminuitur, quam totam benedictionem fere omnis Ecclesia dominica oratione concludit. *Interpellationes* autem, sive, ut quidam codices habent, postulationes fiunt, cum populus benedicitur. Tunc enim antistites velut advocati, susce-

---

[1]) Sunt haec iterum ex ep. 54. s. Augustini n. 8.

[2]) Quae sequuntur sunt ex ep. 149. s. Augustini *ad Paulinum* n. 16.

ptos suos per manus impositionem misericordissimae offerunt potestati. Quibus peractis et participato tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis ultimam commendavit Apostolus. Haec autem causa praecipua fuit ista dicendi, ut his breviter praescriptis atque significatis, non putaretur negligendum esse quod sequitur, *pro omnibus hominibus, pro regibus et his qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate* (1. Tim. 2, 2), ne quisquam, sicut se habet humanae cogitationis infirmitas, aestimaret, non esse ista facienda pro iis, a quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cum membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda. Unde adjungit et dicit: *Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Domino, qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire* (Ibid. vers. 3). Et ne quisquam diceret posse esse salutis viam in bona conversatione et unius Dei omnipotentis cultu sine participatione corporis et sanguinis Christi: *Unus enim Deus*, inquit, *unus enim Mediator Dei et hominum homo Jesus Christus*, ut illud quod dixerat, *omnes homines vult salvos fieri*, nullo alio

modo intelligatur praestari, nisi per mediatorem, non Deum, quod semper erat Verbum, sed hominem Christum Jesum, cum *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.*" Ideo enim Christus mediator Dei et hominum dictus est inter Deum immortalem et mortalem hominem Deus et homo reconcilians hominem Deo, verus rex, verus sacerdos. Ergo petit homo a rege Christo regatur, si forte peccaverit, eodem sacerdote Christo expletur [1]).

17. Primo igitur convenientibus in unum, et adstantibus in domo Dei fidelibus, praecedente modulatione divinarum laudum, praecedente lectione apostolorum et Evangeliorum, praecedente etiam nonnunquam sermone et allocutione magistrorum, subjuncta quoque symboli confessione et oblatione populorum, et initiata consecratione sacramentorum [2]), in quibus omnibus mens adstantium ad divina et coelestia cogitanda ac de-

---

[1]) Haec periodus evidenter est mendosa, sensu enim caret. Forte ita emendanda: Ergo petit homo a rege Christo, *ut* regatur; *et* si forte peccaverit, *ut* eodem sacerdote Christo *expietur*.

[2]) Hisce describitur ea pars missae, quae praefationem praecedit. Sibi enim tantum canonem exponere proposuit Florus.

sideranda praeparatur, assistit sacerdos altari, et celebraturus divina mysteria, Ecclesiam salutando orat, et orando salutat dicens:

18. *Dominus vobiscum.* Qui salutationis sermo non humano arbitrio compositus, sed ex divinae Scripturae auctoritate desumptus probatur, ubi frequenter et singulariter et pluraliter positus legitur. Singulariter, sicut ait angelus ad beatum Mariam: *Ave gratia plena, Dominus tecum* (Luc. 1, 28); et sicut ad Gedeon similiter salutando dixit: *Dominus tecum, virorum fortissime* (Jud. 6, 12). Pluraliter autem, sicut in libro Ruth, qui utique sicut ceteri sacrae Scripturae libri divina et mystica continet, legitur Booz salutando dixisse messoribus: *Dominus vobiscum.* Cui et ipsi resalutantes dixerunt: *Benedicat tibi Dominus* (Ruth. 2, 4). Et sicut in historia libri Paralipomenon propheta missus a Deo invenitur salutasse Asa regem Juda cum exercitu suo, invocato Dei auxilio, victores de praelio revertentes. Ait enim: *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo.* Et addidit: *Si quaesieritis eum, invenietis: si autem dereliqueritis illum, derelinquet vos* (1. Par. 28, 9). Unde patet quia sicut nihil pejus potest esse homini quam

derelinquere Deum et derelinqui a Deo: ita e contrario nihil melius est quam habere Deum et esse cum Deo. Et quia salutare nihil est aliud quam salutem optare, haec est vera salutatio, verae salutis optatio, id est cum Ecclesia [1]) sua tamquam in templo suo, cum dicit Apostolus: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (1. Cor. 3, 16). Et Ecclesia habet Dominum secum inhabitantem et illuminantem, regentem et protegentem, ut ille sit ei Deus, et illa sit populus, sicut propheta promisit dicens: *Et inhabitabo et inambulabo cum illis, et ero eis Deus, et erunt ipsi populus* (2. Cor, 6, 16), ut, dum tantae beatitudinis dono Ecclesia Dei et possidet Dominum et possidetur a Deo, quatenus et ipsa sit hereditas Domini, et Dominus pars hereditatis ejus, impleatur in illa quod Psalmista ait: *Beata gens, cujus Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hereditatem sibi* (Psal. 32, 12). Hoc est enim summum hominis bonum, possidere Deum et possideri a Deo; ipsum solum diligere et ipsi soli servire, illi soli adhaerere,

---

[1]) Jam explicat illud *vobiscum*, quod idem significat ac *cum Ecclesia*, cui optat sacerdos, ut Deus sit cum ipsa seu in ipsa habitet, sicut in templo suo.

ut dicat illi anima devota: *Mihi autem adhaerere Deo bonum* (Psal. 72, 28). Et iterum: *Adhaesit anima mea post te* (Psal. 62, 9), ut adhaerens Domino, unus cum eo spiritus fiat, dicente Apostolo: *Qui adhaeret Domino, unus spiritus est* (1. Cor. 6, 17). Nam et ipse Apostolus in epistolis suis ita salutat dicens, ut aliquando dicat: *Dominus cum omnibus vobis*; aliquando: *Deus autem pacis sit cum omnibus vobis*; item aliquando: *Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum spiritu vestro, fratres, amen* (Gal. 6, 18). Et nonnunquam sub distinctione personarum, totam invocans Trinitatem, ita salutat: *Gratia Domini nostri Jesu Christi et caritas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis* (2. Cor. 13, 13). In quibus omnibus hoc optat fidelibus scribens, quod sacerdos ad altare assistens, scilicet, ut habentes Deum non deserantur ab eo. Recte ergo Ecclesia tam salubri sacerdotis voce accepta, et ipsa resalutando orat, et orando resalutat sacerdotem, dicens:

19. *Et cum Spiritu tuo.* Nihil enim melius invenit Ecclesia, quod optaret sacerdoti, nisi quod sacerdos optat Ecclesiae, id est ut idem Dominus, qui dignatur esse cum Eccle-

sia, dignetur etiam esse cum spiritu sacerdotis, ac sic in utroque benigna illa Domini promissio impleatur, qua ascensurus in coelum omnibus fidelibus promisit dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi* (Matth. 28, 20). Hoc ergo tantum bonum sibi invicem optant et postulant, et sacerdos Ecclesiae, et Ecclesia sacerdoti, ut sicut ejus gratia illuminatur, ejus praesentia confortatur, ejus protectione munitur; semper eum manere nobiscum, quemadmodum est pollicitus, sentiamus. Hoc etiam modo aliquoties salutat Apostolus, et pluraliter, ut superius memoravimus, ubi ait: *Dominus Jesus Christus cum spiritu vestro, fratres, amen* (Gal. 6, 18). Et singulariter, ubi ad Timotheum salutans dicit (2. ep. 4, 22): *Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo, amen.*

20. Et bene Dominus cum spiritu hominis esse optatur, quia in spiritu et mente rationali creatus est homo ad imaginem et similitudinem Dei: et ibi est capax divinae gratiae et illuminationis, ut in quantum ei datur, possit sentire dulcedinem suavitatis et splendorem praesentiae ejus, ut fiat in eo illud, quod Psalmista ait: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (Psal. 33, 9).

Et iterum: *Accedite ad eum, et illuminamini, et vultus vestri non erubescent* (Ibid. vers. 6). Sic namque sanctificato spiritu hominis per inhabitationem Dei, efficitur homo etiam in corpore templum. Unde ait apostolus: *Corpora vestra templum est Spiritus sancti, quem habetis a Deo* (1. Cor. 6, 19).

21. Sed et illa salutatio episcopalis ad populum, qua dicitur *Pax vobiscum*, sive *Pax vobis*, similiter non humano sensu inventa, sed de Scripturae sanctae auctoritate sumpta est. Nam et in veteri Testamento invenitur dixisse angelus Danieli prophetae: *Noli timere, vir desideriorum, pax tibi, confortare, et esto robustus* (Dan. 10, 19). Et in novo, id est in Evangelio, pene semper ita Dominus legitur apostolos salutasse dicendo: *Pax vobis*; et eisdem apostolis eandem salutationis formam commendavit dicens: *In quamcunque autem domum intraveritis, salutate eam dicentes: Pax huic domui, et si ibi fuerit filius pacis, requiescet pax vestra super illum: sin autem, pax vestra ad vos revertetur* (Matth. 10, 13).

22. Merito ergo et apostolorum successores, id est ecclesiarum praesules hac salutatione utuntur, domum Dei salutantes, ubi oportet omnes esse filios pacis: *Beati* enim

pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur (Matth. 5, 9), ut salutatio pacis super eos requiescens, et salutantibus et salutatis possit esse fructuosa. Pax autem, quae sive per angelum, sive per Dominum, sive per pastores ecclesiarum fidelibus imprecatur, non est mundana aut caduca, sed divina et aeterna, quae nos Deo conciliat, et contra tentationes diaboli atque adversitates seculi ipsius protectione munitos, tranquilla proximis caritate conjunget. Hanc enim Dominus Ecclesiae suae commendavit dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et continuo subjunxit: *non quomodo hic mundus dat, ego do vobis* (Joan. 14, 27). De hac iterum dicit: *Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis; in mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum* (Joan. 16, 33). Hanc et Apostolus fidelibus implorat dicens: *Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu* (Phil. 4, 7), quae passionum tempore servanda est, et ubique fideliter tenenda, quanto attentius et devotius ea hora, cum in domo Domini et in conspectu Dei assistitur, et vota et munera omnium sacris altaribus offeruntur; quando aliter divinam majestatem nobis pro-

pitiare non possumus, nisi sincero caritatis affectu illud implere studeamus, quod de hac re specialiter Dominus praecipit dicens: *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum* (Matth. 5, 23).

23. Qua in re pensandum est, cum omnis culpa munere solvatur, quam gravis est culpa discordiae, pro qua nec munus accipitur [1]). Debemus itaque ad proximum, quamvis longe positum longeque disjunctum, mente ire, eique animum subdere, humilitate illum ac benevolentia placare, ut videlicet Conditor, dum tale munus nostrae mentis aspexerit, a peccato nos solvat, quia munus pro culpa sumit. Veritatis autem voce testante didicimus, quia servus, qui decem millia talenta debebat, cum poenitentiam ageret, absolutionem debiti a Domino accepit. Sed quia conservo suo centum sibi denarios debenti debitum non dimisit, et hoc est jussus exigi,

---

[1]) Citatur hic ad marginem s. Gregorius M. l. 2. hom. 8. *in Ezech.* n. 9., ubi non eadem quidem verba sed similia leguntur.

quod ei fuerat jam dimissum. Ex quibus videlicet dictis constat, quia si hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, et illud rursus exigitur, quod nobis jam per poenitentiam dimissum fuisse gaudebamus.

24. Summopere autem necesse est, ut quando stamus ad orationem, quando tam sancta et veneranda mysteria sub oculis Dei geruntur, toto corde ad precandum invigilemus. „Cogitatio omnis [1]) carnalis et secularis abscedat, nec quidquam animus quam id solum cogitet, quod precatur. Ideo et sacerdos ante illam sacrosanctam orationem, praefatione praemissa, parat fratrum animos dicendo: *Sursum corda*, ut dum respondet (plebs): *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere, claudatur contra adversarium pectus, et soli Deo pateat, nec ad se adire hostem Dei tempore orationis patiatur. Obrepit enim frequenter et penetrat, et subtiliter fallens preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, et aliud in voce, quando intentione sincera Deum non vocis sonus, sed animus et sensus debeat orare,

---

[1]) Sunt haec verba s. Cypriani ex l. *de oratione dominica* n. 31. *opusc.* t. II.

quasi sit aliud, quod magis cogitare debeamus, quam quod cum Deo loquimur. Quomodo a Deo audiri postulamus, cum nos ipsi non audiamus? Volumus esse Deum memorem nostri, quando memores nostri ipsi non sumus, hoc est quando oramus, majestatem Dei negligentia orationis offendere, hoc est vigilare oculis et corde dormire, cum debeat christianus, etiam dum dormit oculis, corde vigilare, sicut scriptum est ex persona Ecclesiae loquentis in Cantico canticorum: *Ego dormio, et cor meum vigilat* (Cant. 5, 2). Quapropter sollicite et caute Apostolus admonet dicens: *Instate orationi vigilantes in ea* (Col. 4, 2), docens scilicet et ostendens, eos impetrare quod postulant a Deo posse, quos ipse videt in oratione vigilare."

25. Quid est ergo sursum habere corda, nisi ea quae sursum sunt quaerere, quae sursum sunt sapere? quaerere videlicet amando, sapere intelligendo, sicut Apostolus eodem sermone admonet dicens: *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram* (Col. 3, 1). Hunc ascensum cordis nostri, qui fit ad Deum a convalle plorationis,

id est ab humilitate contribulationis, non nostris viribus, sed auxilio Dei ostendit nobis Psalmista dicens: *Beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum* (Psal. 83, 6). Ascensus enim utilis non potest esse, nisi primo humilitatis a convalle nobis ascendendum esse meminerimus. Convallis enim locus est terrae depressus. Docens ipse Dominus a convalle plorationis ascendendum, quando pro nobis humiliari usque ad mortem crucis et pati dignatus est.

26. Hoc exemplum non relinquamus. Istam convallem plorationis martyres intellexerunt, et inde ut coronarentur ascenderunt. Amor sanctus ad superna elevat, et ad aeterna inflammat. Obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis, volare non potest; mundata vero ab affectibus et sordidissimis [1]) seculi, tamquam extensis pennis, ex duabus alis resolutis, id est duobus praeceptis dilectionis Dei et dilectionis proximi, volat ad Dominum, ascendens volando, quia ascendit amando ad illam scilicet supernam Jerusalem matrem omnium nostrum, quae est in coelis. Ab illa enim peregrina-

[1]) *Sordidissimis.* Legendum censeo *sordibus.*

mur in hac vita, ad ejus reditum suspiramus tamdiu miseri et laborantes, donec ad illam redeamus, nec cives nostri angeli dimiserunt in peregrinatione; sed annunciaverunt nobis ipsum regem venturum ad nos. Et venit ad nos, et contemptus est inter nos a nobis et postea nobiscum, et docuit nos contemni, quia contemptus est; docuit tolerare, quia toleravit; docuit pati, quia passus est; et promisit resurrecturos, quia resurrexit, in seipso ostendens quid sperare debeamus. Si ergo prophetae et patres antiqui, antequam Dominus Jesus Christus veniret in carne, antequam mortuus resurrexisset et ascendisset in coelum, suspirabant tamen illi civitati, quantum nos oporteat desiderare quo nos ipse praecessit, et unde nunquam recessit? Antiqui sacerdotes, qui non tam curabant de cultu sermonis, quam de salute et aedificatione plebis, propter idiotas et rusticanos non sursum, sed vulgari sermone *sursum corda* dicere solebant [1]), ut res tanta plenius omnium sensibus commendaretur. Monet autem adhuc sacerdos et dicit:

27. *Gratias agamus Domino Deo no-*

---

[1]) Locus implexus, cujus sensum assequi non licet, quare mendosus videtur.

strō. Gratiarum actio Patri luminum semper a nobis debetur, a quo sine ulla dubitatione omne datum optimum et omne donum perfectum, Scriptura teste (Jac. 1, 17), descendit. Nemo est enim donis Dei beatus, qui donanti exsistit ingratus, quia et hoc, quod inter sacra mysteria cor habere sursum jubemur, ipso adjuvante id valemus, quod jubente admonemur. Et ideo sequitur, ut de hoc tanto bono sursum levati cordis non nobis gloriam, quasi nostrarum virium tribuamus, sed Domino Deo nostro gratias agamus. Hoc enim continuo commonemur, quia hoc dignum est, hoc justum est; recordari oportet semper haec verba unde sint, quas actiones [1]) et quanta sanctitate commendentur; teneamus et habeamus quod accipimus, et datori gratias agamus. Quamvis enim accipere et habere nostrum sit, id tamen habemus quod accepimus, quoniam superbienti et ex eo, quod habebat, quasi a seipso haberet, impie glorianti Veritas per Apostolum dicit: *Quid enim habes quod non accepisti; quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* (1. Cor. 4, 7)?

[1]) *Quas actiones.* Videtur mendosum et forte legendum, *qua actione* scil. qua occasione, nimirum in missae sacrificio.

28. Merito ergo in in illo verissimo et singulari sacrificio Domini Deo nostro agere gratias admonemur, ut agnoscat homo, si quid bene vivit, Dei gratia se habere, et ut perficiatur in dilectione justitiae, non se aliunde consecuturum, quia (haec) cogitatio pium facit. Ipsa est illa sapientia, quae pietas vocatur, qua colitur Pater luminum, a quo omne est datum optimum et omne donum perfectum. Colitur autem sacrificio laudis actionibusque gratiarum, ut cultor ejus non in seipso, sed in illo glorietur. *Non enim spiritum hujus mundi accepimus*, ut ait idem Apostolus, *sed Spiritum, qui ex Deo est* (1. Cor. 2, 12), ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis. Quis est autem spiritus mundi hujus, nisi superbiae spiritus, quo cor insipiens obscuratum est eorum, qui cognitum Dominum non ut Deum gratias agendo glorificaverunt? Consideremus ergo haec, et de omnibus beneficiis Dei semper illi gratias referamus, interque omnia opera ejus nihil est, quod vel considerare libentius, vel laudare dulcius debeamus, quam quod Christus factus est humilis, et ad hominem, qui cadendo ad ima dejectus fuerat, sponte descendit, ut vel sese erigendum crederet qui jacebat. Denique ut levaret in coelum spem

nostram, levavit primo carnem nostram, et ut non dubitaremus secuturum quod promisit nobis, illuc jam praecessit quod accepit ex nobis.

28. Ideo ergo praecipue [1]) „in ipso sacrificio corporis Christi a gratiarum actione incipimus, ut Christum non dandum, sed datum nobis in veritate monstremus; et in eo quod gratias agimus Deo in oblatione corporis et sanguinis Christi, cognoscamus non adhuc occidendum Christum pro nostris iniquitatibus, sed occisum; nec redimendos nos illo sanguine, sed redemptos. Vera est enim beati Petri praedicatio dicentis: *Non corruptibilibus argento vel auro redempti estis de vestra vana conversatione paternae traditionis; sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati et incontaminati Christi* (1. Petr. 1, 18)." Bene itaque admonenti sacerdoti et dicenti: *Gratias agamus Domino Deo nostro*, respondet Ecclesia:

29. *Dignum et justum est.* Quid enim potest esse magis Deo dignum, aut quid ei justius a nobis rependi potest, quam ut tantae misericordiae Dei, cui vicem referre non

---

[1]) Quae sequuntur sunt ex s. Fulgentii *ep.* 14. n. 44.

possumus, debitas gratias reddamus, audientes Apostolum exhortantem nos et dicentem: *Gratias agentes Deo et Patri, qui dignos nos fecit in sorte sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii caritatis suae, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum* (Col. 1, 12, 13, 14)? Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret, et gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Qui ergo per hanc gratiam eripimur de potestate tenebrarum, id est diaboli et angelorum ejus, et transferimur in regnum Filii dilectionis Dei, ut efficiamur genus electum, regale sacerdotium, habentes in eodem Filio per sanguinem ejus redemptionem, remissionem peccatorum; quid dignius agere possumus, quam quod beatus Petrus apostolus admonet dicens: *Et virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum; qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti* (1. Petr. 2, 9)? Hanc ergo Ecclesiae responsionem confirmat sacerdos, et in Deum mente suspensus, cognoscente secum omni Ecclesia proclamat et dicit:

30. *Vere dignum et justum est, aequum et salutare.* Quod est justum, hoc est et aequum, sed repetitio sermonis, confirmatio est veritatis, nam justitia et aequitas una res est, sicut cantamus in psalterio de Domino: *Judicabit orbem terrae in justitia et populos in aequitate* (Psal. 54, 10). Salutare autem dicitur, quod est salubre, et quod salutem conferat. Vere ergo ut incessanter gratias agamus, dignum est tantis Dei beneficiis, justum nostris obsequiis, aequum ipso pondere rationis, salutare manifesto fructu salutis, quo et Deum laudantes salvantur, et ingrati ipsius judicio reprobantur. Nam Deum fideliter laudantes vere salvantur, sicut in psalmo cantatur: *Laudans invocabo Dominum et ab inimicis meis salvus ero* (Psal. 17, 4). Ingrati autem reprobantur, sicut aperte in Evangelio ipse Dominus ostendit, qui ex decem leprosis ejus virtute mundatis, unum, ad se suppliciter revertentem et magna voce gratias agentem laudavit, et gratia fidei salvavit, dicendo: *Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena;* et continuo clementer adjunxit; *Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit* (Luc. 17, 18). Novem autem reliquos, licet crediderint se per eum posse mundari, quan-

do una voce clamaverunt dicentes: *Jesu praeceptor, miserere nostri;* tamen quia tantae virtuti exstiterunt ingrati, velut infideles, nescire se ostendit, dicendo: *Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt?* Nescire autem Dei reprobari est: unde et quibusdam dicturus est: *Amen dico vobis, nescio vos* (Matth. 25, 12). Ex quo quantum malum sit gratiarum actionem Deo debitam negligere, evidenter ostenditur, quando eos, quos credentes mundavit, etiam mundatos istius culpae merito tamquam infideles abjecit. Gratias autem agere debemus semper et ubique, id est in omni tempore et in omni loco, ut impleatur in nobis, quod cantamus in psalmo: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (Psal. 33, 2). Et iterum: *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino* (Psal. 102, 22).

31. „Quis est ergo, qui benedicit et gratias agit Domino in omni tempore, nisi humilis corde [1])? Ipsam enim humilitatem docuit Dominus noster in corpore suo, quia cum commendat corpus et sanguinem suum, hu-

---

[4]) Haec sunt s. Augustini *in Ps.* 33. enarr. 2. n. 4.

militatem suam commendat.... Esto humilis, si vis benedicere Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore tuo, quia et Job non tantum benedixit Dominum, quando abundabant illi omnia, quibus eum legimus divitem fuisse.... Ablata sunt omnia uno tempore, et implevit quod in hoc psalmo scriptum est dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est.* Post: *Sit nomen Domini benedictum* (Job. 1, 21). Ecce habes exemplum benedicentis in omni tempore.“ Non habebat quae teneret, sed habebat quod laudaret. In laude Dei sui quasi in rerum copia quiescebat. Deus illi solatium fuit, ne possessionem damnis periclitaretur. Numquid enim perdidit Deum, quamvis perdiderit quod dederat Deus? Plus est enim habere eum qui dat, quam illa quae dat. Si enim pulchra sunt quae dat, quanto pulchrior ille qui dat? Si magna sunt, quanto major ipse largitor? Et certe quae in hac terrena vita dederit Deus, aut dum vivimus nos deserunt, aut a nobis morte deseruntur. At vero ipse Deus aeterna possessio semper praesens nunquam deserit possidentem.

32. Sint ergo casta vota fidelium, vilescat temporale bonum, et veniat aeternum. In-

haereat Deo anima pia in eum oratione suspensa, et per spirituales amplexus ei connexa desideret illud, quod secum ipse largitur. Quantum est quod nobis exhibebit Deus, si seipsum nobis nolit exhibere? Si ergo bona suppetunt seculi, sit misericordiae faciendae materies: si defuerint, sit patientiae fidelis occasio. Tali enim devotione etiam in omni loco Deo gratiae aguntur, quia qui ubique est praesens, ubique agnoscit laudatorem suum, etiam cum ore quiescente et tacente lingua, secreto cordis affectu fidelis ei anima benedicit, cum agit in silentio quod canitur in psalmo: *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quae intra me sunt nomini sancto ejus* (Psal. 102, 1). Quisquis ergo supplicaturus et gratias acturus Deo, locum sanctum et aptum requiris, interiora tua munda, et omni inde mala cupiditate depulsa, praepara tibi in cordis tui pace secretum, volens in templo orare. In te ora, et ita age semper, ut templum Dei sis. Ibi enim Deus exaudit, ubi habitat.

33. *Vere dignum et justum est, aequum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere.* Subjungit ad quem dirigat orationem dicendo: *Domine, sancte Pater omnipotens, aeterne Deus*, et per quem eandem

orationem dirigat addendo: *Per Christum Dominum nostrum.* Quod ergo dicit *Domine*, refertur ad creaturae subjectionem, de quo in psalmo canitur: *Quoniam omnia serviunt tibi* (Ps. 118, 91); et alibi: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (Ps. 15, 1). Quid est enim *bonorum meorum*, nisi a te datorum? quomodo eget aliquo bono, a quo omne bonum datur? Ideo verus est Dominus, qui servo suo non indiget. Et quo servo indiget? Quod vero adjungit *sancte Pater*, refertur vel specialiter ad unigeniti Filii generationem, in qua coaeternus et coaequalis Patri, de qua etiam Propheta ait: *Generationem ejus quis enarrabit* (Isa. 53, 8)? vel generaliter ad omnium filiorum Dei adoptionem, cujus tanta est gratia, ut cum haberet unicum, noluerit illum esse unum, sed ut fratres haberet, adoptavit illos, qui cum illo possiderent vitam aeternam, pro quibus ipse eisdem verbis Patri supplicans ait: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi* (Joan. 17, 11). Haec ergo vox, ut dicatur Deo *Pater sancte*, et propria est unici Filii per naturam, et communis omnium adoptione filiorum per gratiam, per quam etiam concessit ut orantes dicant: *Pater noster, qui es in coelis*

(Matth. 6, 9), qui vere omnipotens et aeternus est Deus, omnipotens scilicet virtute, qua omnia condidit et continet et regit, (cui) veraciter Scriptura dicit, *quia tibi impossibile nihil est.*

34. Qui tamen si compos est [1]), ut nunquam suae rationis instituta convellat. Ipsius est etiam vera aeternitas, cui quod est esse perpetuum est, qui initio carens, sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. Tota autem oratio et gratiarum actio, quam semper et ubique debemus, dirigitur et offertur Deo Patri per Christum Dominum nostrum, tamquam per mediatorem et conciliatorem Dei et hominum, de quo Apostolus ait: *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Jesus Christus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus* (1. Tim. 2, 5), qui cum in natura deitatis sit unum cum Patre, suscipiendo naturam nostram, factus est nobis mediator ad Patrem. Ideo enim mediator Dei et hominum, quia Deus cum Patre, qui homo cum hominibus, non mediator homo praeter deitatem, non mediator Deus praeter humanitatem.

---

[1]) *Si compos est*, forte *sui* vel *sic* compos est, scil. omnipotentiam ita possidet, ut etc.

Divinitas sine humanitate non est mediatrix. Sed inter solam divinitatem et humanitatem solam, mediatrix est humana divinitas et divina humanitas Christi [1]), qui etiam semetipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus secundum formam servi. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est, quia secundum hanc mediator est. In hac sacerdos, in hac sacrificium.

34. Per ipsum ergo et petitiones et laudes suas offert Ecclesia Deo Patri, sciens per eum solum placere posse quod laudat, sicut in Evangelio promittit dicens: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (Joan. 16, 23). Haec est enim mediationis gratia, per quam exauditur Ecclesia, secundum quam et Apostolus exhortatur dicens: *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini eius* (Hebr. 13, 15). Idem namque mediator Dei et hominum, Deus super nos, homo propter nos, per humanitatem interpellat pro nobis apud

---

[1]) *Humana divinitas et divina humanitas*, quae minus accurate sunt dicta. Sensus vero est, mediatorem inter nos et Deum esse neque solum Verbum neque solam naturam humanam assumptam, sed eum, qui est Deus homo et homo Deus.

Patrem, per divinitatem exaudit et praestat cum Patre, sicut ipse testatur dicens: *Quia ego ad Patrem vado, et quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut clarificetur Pater in Filio* (Joan. 14, 12). De qua mediatione et advocatione etiam beatus Joannes apostolus ait: *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (1. Joan. 2, 2), quia qui per humanitatem interpellat pro nobis apud Patrem, idem per divinitatem propitiatur nobis cum Patre. Orat itaque sacerdos pro Ecclesia, orat Ecclesia pro sacerdote, sicut orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo, qui dicit: *Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi* (Coloss. 4, 3). Et pro Petro orat Ecclesia, cum esset in vinculis, quomodo et Petrus pro Eccesia, quia omnia pro invicem membra orant. Caput pro omnibus interpellat, de quo scriptum est: *Qui et est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis* (Rom. 8, 34).

36. „Unigenito [1]) enim Filio pro homine interpellare est apud coaeternum Patrem

---

[1]) Leguntur haec apud Gregorium M. *Moral.* l. 22, n. 42.

seipsum hominem demonstrare: eique pro humana natura rogasse, est eandem naturam in divinitatis suae celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce, sed miseratione, quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo servavit:“ qui quoniam hoc, quod moriendo in sepulcro posuit, resurgendo super angelos elevavit; recte sacerdos adjungit et dicit:

37. *Per quem majestatem tuam laudant angeli.* Haec est enim ineffabilis gloria Salvatoris et mediatoris nostri, qui, ut Apostolus ait, *purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit* (Heb. 1, 3). Cujus nominis altitudinem alibi exponens dicit: *Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum* (Phil. 2, 9), quatenus per eundem mediatorem laudet, adoret et contremiscat majestatem Dei Patris non solum Ecclesia hominum in terris, sed etiam Ecclesia angelorum in coelis.

38. Sic enim Ecclesia tota et una „accipienda est, non solum ex ea parte, qua pere-

grinatur in terris a solis ortu usque ad occasum laudans nomen Domini, et post captivitatem vetustatis cantans canticum novum; verum etiam ex illa, quae in coelis semper, ex quo condita est, cohaesit Deo, nec ullum malum sui casus experta est. Haec in sanctis angelis beata persistit, et suae parti peregrinanti sicut oportet opitulatur, quia utraque una erit consortio aeternitatis, et nunc vera est vinculo caritatis [1]." Haec ergo quae peregrinatur in terris, sanguine Mediatoris nullum habentis peccatum, ab omni est peccato redempta,... ejus non est. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (Rom. 8, 32). Non enim pro angelis mortuus est Christus; sed ideo etiam pro angelis fit ipsa redemptio hominum, quoniam cum ipso redimus in gratiam post inimicitias, quas inter homines et sanctos angelos peccata fecerunt, et ex ipsa hominum redemptione ruinae illius angelicae damna reparantur.

39. Propter hoc ait Apostolus, *instaurari*

---

[1]) Haec sunt Augustini ex *Enchiridio* n. 56. In sequentibus quaedam exciderunt, quae Martene ex cod. ms. restituere non potuit.

omnia in Christo, quae in coelis sunt et quae in terris (Eph. 1, 10). In ipso instaurantur, quippe quae in coelis sunt, cum id quod inde in angelis lapsum est, hominibus redditur. Instaurantur autem quae in terris sunt, cum ipsi homines, qui praedestinati sunt in aeternam vitam, a corruptionis vetustate renovantur; ac sic per illud singulare sacrificium, in quo mediator est immolatus, pacificantur coelestia cum terrestribus, et terrestria cum coelestibus, quoniam sicut Apostolus dicit: *In ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, et per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quae in terris sunt, sive quae in coelis* (Col. 1, 22). De ipso namque et alibi idem Apostolus ait: *Et ipse est caput corporis Ecclesiae* (Ib. vers. 18). Et iterum: *Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis* (Col. 2, 10). Omnes ergo qui ab initio seculi fuerunt justi, caput Christum habent. Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus, et in ejus fide et ipsi sanati sunt, in cujus et nos, ut esset ipse totius caput civitatis Jerusalem omnibus connumeratis fidelibus ab initio usque in finem, adjunctis etiam legionibus et exer-

citibus angelorum, ut fiat una civitas sub uno rege, et una quaedam provincia sub uno imperatore, felix in perpetua pace ac salute, laudans Dominum sine fine beato fine.

40. Istorum vero trium ordinum spirituum, id est angelorum, dominationum, potestatum, qui divinam majestatem laudare, adorare, et tremere dicuntur, talis est differentia, quod angeli, qui latine *nuncii* interpretantur, ex ipso nomine officium suum nobis indicant, quia videlicet a Deo missi, voluntatem ejus hominibus nunciant, sicut legimus in veteri Testamento missos angelos ad Abraham, ad Loth, ad Jacob, ad Moysen, ad Josue, ad Daniel et Tobiam, et in novo frequenter, unde et per Psalmistam dicitur: *Benedicite Domino angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendum vocem sermonis ejus* (Psal. 102, 29). Et iterum: *Qui facit angelos suos spiritus* (Psal. 103, 4), ac si aperte dicat, qui eos, quos semper habet spiritus, etiam cum voluerit angelos, id est nuncios facit. Dominationes autem vocantur et angelorum agmina, quae mira potentia praeeminent, eo quod eis cetera ad obediendum subjecta sint. Potestates etiam vocantur hi, qui hoc potentius ceteris in suo ordine perceperunt, ut eorum

ditioni virtutes adversae subjectae sint, quorum potestate refrenantur, ne corda hominum tantum tentare praevaleant, quantum volunt.

41. Hi ergo tam beati et sublimes in coelestibus spiritus per Christum Dominum nostrum majestatem Dei laudant, sicut ad eos gratulando dicitur in psalmo: *Laudate Dominum de coelis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum virtutes ejus* (Psal. 148, 1). De quibus et Deus in libro Job loquitur dicens: *Quando facta sunt sidera, laudaverunt me omnes angeli mei voce magna* (Job. 38, 7). Adorant quoque eandem divinam majestatem, sicut in hymno confessionis Esdrae ad ipsum Deum dicitur: *Tu ipse, Domine Deus, qui fecisti coelum, coelum coeli et universa quae in eo sunt, et tu vivificas omnia haec, et exercitus coeli te adorant* (2. Esd. 9, 6). Tremunt etiam, sicut per figuram de eis in libro Job dicitur: *Columnae coeli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus* (Job. 26, 10).

42. „Quia ipse [1]) quoque virtutes coelesti-

---

[1]) Haec descripsit Florus ex Gregorio M. *Moral.* l. 17. n. 44.

um, quae Deum sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt. Sed iisdem timor, ne eis poenalis sit, non timoris est, sed admirationis.“ Cum igitur in coelestibus tanta sit devotio laudantium, veneratio adorantium, tremor admirantium, consideret haec homo, cui dictum est: *Quid superbit terra* (Eccli. 10, 9)? et audiat Apostolum monentem: *Cum metu et timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini* (Phil. 2, 12). Sequitur sacerdos in Dei laudibus, et dicit:

43. *Coeli coelorumque virtutes ac beata seraphim socia exsultatione concelebrant.* Subauditur hoc, quod jam supradictum est, *majestatem tuam.* Hanc namque non solum, ut praemissum est, angeli, dominationes et potestates laudant, adorant, tremunt; sed etiam coeli et coelorum virtutes, et seraphim concelebrant, id est in commune celebrant, concordi devotione et communi gaudio laudant. Nam celebritas est conventus populi in laude, et celebrata dicimus in celebri, id est in frequentissimo conventu acta. Celebrat itaque et concelebrat majestatem Dei beatus ille populus angelorum, de cujus inenarrabili multitudine scriptum est: *Millia millium ministrabant ei, et decies centena*

millia assistebant ei (Dan. 7, 10), quia adest illis semper vultus praesens Dei, dicente Domino in Evangelio: *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est* (Matth. 18, 10). Qui dum sine defectu conspicitur et amatur, amatur et laudatur, electorum civium mera laetitia agitur, vicissim de se omnes in suo conventu gratulantur. Ipsa est enim domus Dei aeterna, de qua in Psalmis canitur: *Beati qui habitant in domo tua, in seculi seculorum laudabunt te* (Psal. 83, 5); et iterum: *Sicut laetantium omnium habitatio est in te* (Psal. 86, 7). Ideo hic bene dicitur, quia majestatem Dei socia, id est juncta exsultatione concelebrant, quoniam, ut jam dictum est, sine intermissione laudantes vicissim de illo et de se in illo laetantur, sicut de ipsis seraphim manifeste in Isaia legitur, *quia volabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus* etc. (Isa. 6, 3).

44. Merito enim laudant cui ministrant, et assistunt, et dant gloriam in excelsis Deo, quia illi debent quod sunt, illi debent quod vivunt, illi debent quod juste vivunt, illi debent quod beate vivunt, ne putemus hominem solum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat angelus antequam fieret? quid est an-

gelus, si deserat qui creavit? Hunc ergo omnium creatorem laudant et concelebrant coeli, sicut eum laudant sol et luna, omnes stellae et lumen. Unde in psalmo dicitur: *Laudate eum sol et luna; laudate eum omnes stellae et lumen. Laudate eum coeli coelorum, et aquae omnes, quae super coelos sunt, laudent nomen Domini* (Psal. 148, 3).

45. In hymno quoque trium puerorum ad laudem Dei elementa omnia provocantur, non quod elementa muta habeant sensum laudandi; sed quia cuncta bene cogitata laudem pariant, et impletur cor consideratione creaturae ad eructandum hymnum Creatori. Et quia longum fuit in ista gratiarum actione totos angelorum ordines, qui in Scripturis novem inveniuntur, sigillatim ponere: post coelos ponuntur virtutes, quo nomine omnes coelestes spiritus nonnunquam generaliter appellari solent, ut est illud in psalmo: *Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris omnis virtus eorum* (Psal. 31, 6); et iterum: *Dominus virtutum ipse est rex gloriae* (Psal. 23, 10). Tamen proprie in ordinibus angelorum virtutes illi spiritus vocantur, per quos signa et miracula frequentius fiunt. Ad ultimum ponuntur seraphim, qui est summus ordo angelicorum

spirituum; et vere beata, quae ex singulari propinquitate conditoris sui incomparabili ardent amore. Unde et seraphim *ardentes* vel *incendentes* interpretantur: quia quo subtilius claritatem divinitatis aspiciunt, eo validius in ejus amore flammescunt.

46. Sciendum [1]) quoque quod cherubim et seraphim per *m* literam prolata, juxta proprietatem linguae hebraeae, masculini sunt generis et pluralis numeri tantum. Si autem per *n* literam dicantur, sicut in psalmis et hymnis et in praesenti gratiarum actione ponitur, graeca declinatione in neutrale genus mutantur, velut cum dicimus lucida sidera, speciosa nemora, jucunda littora: sic et beata seraphin neutrali genere et plurali numero accipimus. Illud autem attentissime cognoscendum, quod ante ita sancti angeli et ceterae coelorum virtutes majestatem Dei Patris laudare, tremere et communi exsultatione concelebrare dicuntur per Christum Dominum nostrum, tamquam haec venerationis et glorificationis obsequia soli Deo Patri deferant, non etiam Filio et Spiritui

---

[1]) In cod. ms. hic et sequens num. secundum praenotationem Vigilio verosimiliter tapsensi tribuuntur.

sancto. Certissima enim fide tenere et scire debemus, quia totius sanctae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, sicut una est divinitas et individua majestas, ita ei in omnibus aequalis honor et individua glorificatio debetur; nec ullo modo aut Pater sine Filio, aut Filius sine Patre et Spiritu sancto aut laudari, aut adorari, aut ullo divini cultus obsequio honorari potest.

47. Nulla enim est in Trinitate distantia; sed sive quis Patrem adoret, ibi est Filius et Spiritus sanctus. Sive Filio et Spiritui sancto supplicet, ibidem sine dubio et Pater invenitur, quia dum Patrem aut Filium invocas, totam Deitatis unitatem, totam amplecteris Trinitatem. Si enim vere et fideliter creditur, quia Pater in Filio et Filius in Patre est, sicut Isaias ad eundem Filium loquitur dicens: *In te est Deus, et non est Deus praeter te* (Isa. 54, 14); et in Evangelio: *Ego*, inquit, *in Patre et Pater in me est* (Joan. 10, 38): nulli dubium, quod similiter ut Patri etiam Filio, qui in eodem Patre consubstantialiter manet, a nobis sacrificium immoletur. Cum enim ita in se invicem, ut separari nequeant, manent, quod uni exhibueris, utrique exhibitum crede. Denique Filius ait: *Qui me vidit, vidit et*

Patrem (Joan. 14, 9). *Ego et Pater unum sumus* (ib. 10, 30), sic visio Filii Patris est comtemplatio, Patris honorificentia sive gloria, dicente eodem Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. (Joan. 5, 23).

48. Quid si inveniuntur qui Patrem honorificant, et non honorificant Filium? Non potest, inquit, fieri. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum; sed ne forte Patrem quidem honorifices tamquam majorem, Filium vero tamquam minorem, corrigit te ipse Filius et revocat te dicens, ut omnes honorificent Filium non inferius, sed sicut honorificant Patrem. Quidquid ergo mandatis coelestibus obsequendo divinitati exhibemus, sive in sacrificiorum ritu, sive in supplicatione precum, sive in alio quolibet munificentiae genere et Patri et Filio aequaliter debetur, ac sic nullum venerationis honorem privatim possidet Pater, qui non ad Filii et Spiritus sancti pertineat dignitatem. Nam si sacramentum regenerationis baptisma ad eos aequaliter pertinet, dum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti beata illa secundae nativitatis gratia celebratur, nulli dubium quod et mysteriorum sacrificia communi di-

gnitatis honore Pater et Filius et Spiritus sanctus possidet, quia inseparabili Deitatis unitate Trinitas ipsa connexa est.

49. Ut autem ad solum Patrem oratio dirigatur, id apostoli sancti, sancto per eos ordinante Spiritu, sanxerunt, ut qui multorum deorum errores unius Dei praedicatione nitebantur evellere, sub Trinitatis sacramento uni personae in sacrificiorum ritu supplicandum esse decernerent, ne qui unum Deum ob falsorum deorum exstirpandos errores praedicabant, in pluralem divinitatis numerum incidisse arguerentur ab his, qui ineffabile Patris et (Filii et) Spiritus sancti mysterium ignorabant. Rectissime ergo constitutum est, ut quia Pater et Filius et Spiritus sanctus unius Deitatis, unius naturae, unius aequalitatis, unius denique potestatis exsistunt, una ex eis persona propter unitatis mysterium retinendum in sacrificio invocaretur. Nec alia debuit, nisi quae prima est, in qua ceterae duae naturaliter manentes exsistunt.

50. Quod vero per Filium invocamus, cum ad eum dicimus: *Per Jesum Christum Filium tuum*, hic, ut supra jam dictum est, ex ea parte percipitur, qua pro nobis sacerdotis officio functus est, tunc cum Deo Patri immaculatam suae carnis hostiam in ara crucis

obtulit, unde vas electionis: *Considerate*, inquit, *apostolum et pontificem confessionis nostrae Jesum, qui fidelis est ei qui fecit eum* (Heb. 3, 1). Factus ergo sacerdos pro nobis interpellet necesse est; sed ea, ut diximus, parte, qua hominis gerit naturam. Unde et apostolus non divinitati, sed humanitati ejus hoc intercessionis ejus mysterium coaptavit dicens: *Unus enim mediator Dei et hominum homo Jesus Christus* (1. Tim. 2, 5).

51. Quod autem oratio et adoratio sicut Patri, ita etiam et Filio deferatur, ostendit Isaias dicens: *Ipsum gentes deprecabuntur, et erit nomen ejus gloriosum* (Isa. 11, 10); et iterum ubi inducit Deum Patrem loquentem ad Filium: *Labor Aegypti, negotiatio Aethiopiae et Sabaim, viri sublimes, ad te transibunt, et tui erunt. Post de alligabunt vinculis alligati, et te adorabunt, teque deprecabuntur, quoniam in te est Deus, et non est praeter te* (Isa. 45, 14). Item in Joel: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (Joel. 2, 32), quod de Filio dictum Apostolus edocet tunc, cum judaeorum incredulitatem exprobans ait: *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo invocabunt eum, in quem non credi-*

derunt (Rom. 10, 13)? David etiam supremarum sedium consessorem Filium deprecans ait: *Qui sedes super cherubim, appare coram Ephraim, Benjamin et Manasse. Excita potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos* (Psal. 79, 3).

52. Audi etiam Spiritum sanctum, quemadmodum laudis sacrificium et Filio et Patri, et sibi praecipit immolari, ubi vere individua Trinitas cum personarum distinctione evidentius demonstratur. Dicit ergo idem Spiritus sanctus in psalmo: *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua, et invoca me in die tribulationis tuae, et eripiam te, et honorificabis me* (Psal. 49, 14). Ecce Spiritus sanctus et Deo Filio sacrificium laudis et Patri altissimo vota ac sibi invocationis et glorificationis hostiam a veritatis cultoribus suadet exhiberi. De illo quippe dicit Apostolus: *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo et non estis vestri? quia empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro* (1. Cor. 6, 19). Quemnam Deum nisi Spiritum sanctum, cujus corpora nostra esse dixerat templum?

53. Debetur ergo gloria Spiritui sancto.

Quod vero virtutes angelicae cum Patre simul etiam Filium laudent atque glorificent, ostenditur nobis in Deuteronomio, ubi ita ad Filii venerationem coelestis invitatur exercitus: *Laetamini, coeli, simul cum eo, et adorent eum omnes angeli Dei. Laetamini, gentes, cum populo ejus, et glorificent eum omnes filii Dei.* In Apocalypsi quoque beatus Joannes postquam vidit quatuor animalia et viginti quatuor seniores coram Agno, qui librum signatum aperuit, cecidisse dicentes: *Dignus es accipere librum et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo*, subjunxit voces militiae coelestis redemptioni nostrae congratulantes, et ait: *Et vidi et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna: dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem* (Apoc. 5, 9-12). Post haec, inquit, *vidi, et ecce multitudo magna, quam dinumerare nemo poterat ex omni gente et tribu et populo et lingua stantes ante thronum et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmae in manibus eorum, et clamabant voce*

magna dicentes: Salus Deo nostro sedenti super thronum, et Agno (Apoc. 7, 9. 10). Ecce laudis sacrificium indiscrete Patri et Filio sanctorum immolat chorus, quorum voces multitudo angelorum adorando, et *amen* respondendo confirmat, sicut statim in eodem libro sequitur: *Et omnes angeli stabant in circuitu throni, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum dicentes: Amen* (Ibid. vers. 11). Sanctum quoque Spiritum in eadem gloriae sublimitate beatus Petrus praedicat dicens: *Spiritui sancto misso de coelis, in quem desiderant angeli prospicere* (1. ep. 1, 12). Sequitur sacerdos et dicit:

54. *Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas deprecamur.* „Voces angelorum sunt in laude conditoris ipsa admiratio intimae contemplationis [1]).“ Quales ergo oportet esse voces nostras, quas in conspectu Dei cum angelicis laudibus deprecamur admitti, id est intromitti, ut possimus dicere: *Intret in conspectu tuo?* et iterum: *ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum?* Utique tales voces et talis clamor non est in sono oris, sed in desiderio cordis. Voces

[1]) Ita Gregorius M. *Moral.* l. 2. n. 10.

enim apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Aeternam etenim vitam si ore petimus, nec tamen desideramus ex corde, etiam cum ore conticescimus, tacentes clamamus. Sic Moyses ab strepitu verborum tacebat, et tamen silens aure divinae pietatis audiebatur, cui dicitur: *Quid clamas ad me* (Exod. 14, 15)? Intus est ergo in desiderio clamor secretus, qui ad humanas aures non pervenit, et tamen auditum Conditoris replet; et quia superna illa civitas ex angelis et hominibus constat, ad quam tantum credimus hominum genus ascendere, quantos illic contigit electos angelos remansisse, sicut scriptum est: *Statuit terminos gentium juxta numerum angelorum Dei*, merito sancta Ecclesia, quae illis socianda est in coelo, et cum illis in Dei laudibus permansura, jam nunc ipsis vocibus Deum laudat in terris, quibuscum sancti angeli laudant in coelis: et hoc non superba praesumptione, sed supplici confessione, et sic desiderans majestatem Dei credere et confiteri in mundo, sicut ab angelis videtur

---

[1]) Deut. 32, 8. secundum LXX interpretes. Versio vulgata habet: *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.*

et laudatur in coelo. Haec enim confessio non est peccati, de qua nobis praecipitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra* (Jac. 5, 16); et Psalmista ait: *Dixi*: *Confitebor adversum me injustitiam meam* (Psal. 31, 5), sed laudis et gratiarum actionis, qualis intelligitur in psalmo ubi canimus: *Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum* (Psal. 106, 8). Et qualem Dominus Jesus, qui nullum omnino habebat peccatum, in Evangelio Deo Patri offert dicens: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et revelasti ea parvulis* (Matth. 11, 25). Una igitur confessione, id est laude et gratiarum actione, jam nunc cum angelis sociantur, laudantes de coelestibus et terrestribus tamquam qui fecit coelum et terram, dicentes:

55. *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, pleni sunt coeli et terra.* Istae sunt voces angelorum laudantium in coelis hunc hymnum gloriae Dei. Et Isaias propheta se audisse testatur, quando gloriam Dei vidit, et seraphim istis vocibus eum collaudantia audivit. Et beatus Joannes in Apocalypsi sub figura quatuor animalium introducit. Legitur namque in Isaia de se-

raphim laudantibus ita: *Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, plena est omnis terra gloria ejus* (Isa. 6, 3). In Apocalypsi vero de quatuor animalibus sic legitur: *Et requiem non habebant, die ac nocte dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui est, et qui erat, et qui venturus est* (Apoc. 4, 8). Manifestum est ergo quod in his verbis divinae laudis, quae ad imitationem supernarum virtutum juxta Isaiam decantat Ecclesia, unus sermo de Apocalypsi additus sit: nam in Isaia tantum *Dominus sabaoth* legitur; in Apocalypsi vero *Dominus Deus omnipotens*, et ideo non humano arbitrio, sed utriusque Scripturae auctoritate conjuncta dicimus: *Dominus Deus sabaoth.* Item in Isaia legitur: *Plena est omnis terra gloria ejus*, tamquam hoc angeli non ad ipsum Deum, sed de ipso ad invicem dicant, nos autem conversa ad eum voce dicimus: *Pleni sunt coeli et terra gloria tua*: quod non humano sensu praesumptum, sed de alia Scriptura assumptum et additum est, loquente ipso Deo in Jeremia propheta et dicente: *Coelum et terram ego impleo* (23, 24). Quidquid autem in Dei laudibus Scriptura dicit, recte

et ad ipsum dicitur gratulando, et de ipso ad alios exhortando vel instruendo.

56. Sabaoth autem est de decem nominibus Dei apud hebraeos, et latine interpretatur exercituum sive virtutum [1]), sicut frequenter in prophetis positum est: *Haec dicit Dominus exercituum.* Et in psalmo: *Dominus virtutum ipse est rex gloriae* (Ps. 23, 10). Qui ideo Dominus exercituum et Dominus virtutum vere dicitur, quia omnis militia coelestis exercitus, omnes supernae virtutes atque angelicae potestates ejus imperio subjacent, ejus serviunt voluntati.

57. „Angelicos enim spiritus recte militiam dicimus, quia decertare eos contra potestates aërias non ignoramus: quae tamen certamina non labore, sed imperio peragunt, quia quod agendum [2]) contra immundos spiritus appetunt, ex adjutorio cuncta regentis possunt. De hac namque militia nascente Rege nostro scriptum est: *Subito facta est cum angelo multitudo militiae coelestis* (Luc. 2, 13)."

58. „Quid sibi ergo vult in hoc hymno an-

---

[1]) Cf. Hieronymus ep. 25. *ad Marcellam.*

[2]) Haec habentur apud Gregorium M. *Moral.* l. 17. n. 19., ubi tamen pro *quod agendum* legitur *quidquid agendo.*

gelico sub uno nomine sanctitatis trina repetitio [1])? Si trina repetitio, cur una laudatio? si una laudatio, cur trina repetitio, nisi quia Pater et Filius et Spiritus sanctus sanctitate unum sunt? Non dixit semel, ne Filium sequestraret; non bis, ne Spiritum sanctum praeteriret; non quater, ne creaturam conjungeret; et ut ostenderet unam esse Deitatem, cum tertio dixisset, *sanctus, sanctus, sanctus*, addidit singulariter *Dominus sabaoth.* Sanctus igitur Pater, sanctus Filius, sanctus et Dei Spiritus, tota videlicet Trinitas adoratur" et laudatur ab angelis. Hanc seraphim glorificant et omnes potestates virtutesque coelestes. Adjungunt autem huic hymno angelorum sumpta ex Evangelio verba turbarum laudantium Deum et regem nostrum venientem Hierosolymam, atque dicentium:

59. *Hosanna in excelsis, benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis.* Ita enim ex Scriptura prophetica et evangelica completur plena laudatio, cum post laudem et gloriam sanctae Trinitatis adjungitur etiam gratiarum actio de adventu Salvatoris, qui unus in ipsa et ex ipsa Trinitate

---

[1]) Ita Ambrosius *de fide* l. 2, c. 12. n. 107.

pro salute nostra homo factus in mundum venit, et eandem salutem moriendo et resurgendo perfecit. *Mortuus est enim propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (Rom. 4, 25). Unde rite illi gratias agentes, dicimus *hosanna*, id est salus in excelsis.

60. Hoc est enim, quod in psalmo canitur: *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua* (Ps. 3, 9). Hoc quod in magnae devotione laudis in Apocalypsi sanctorum chorus resonat: *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno* (Apoc. 7, 10). Recte quoque subjungimus: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, juxta quod in Evangelio judaeis non credentibus dixit: *Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me* (Joan. 5, 45). Assumunt autem versiculum laudis turbae de psalmo centesimo decimo septimo, quem de Domino cantatum esse manifestum est: quod cum turbae dicunt *hosanna*, hoc est quod ibi dicitur: *O Domine, salvum me fac! o Domine, bene prosperare!* et statim subjungitur: *Benedictus qui venit in nomine Domini* (Psal. 117, 25). Quod vero in ejusdem laudis persecutione subjungitur *hosanna*, id est salus sive salvifica in excelsis, aperte docet adven-

tum Domini in carne non solum humani generis in terra, sed et angelorum in coelis esse salutem: quia dum nos tendentes ad superna perducimur, eorum profecto numerus, qui satana cedente erat minoratus, impletur. Hinc etenim Paulus ait: *Instaurari omnia Christo, quae in coelis et quae in terra sunt in ipso* (Ephes. 1, 10). Recte igitur *hosanna in altissimis* in ejus laude canitur, cujus tota incarnationis dispensatio pro implenda gloria patriae coelestis apparuit.

61. Post has laudes et gratiarum actiones pro tanta gratia redemptionis nostrae, quae in illo divino mysterio agitur et commendatur, facto totius ecclesiae silentio, in quo cessante omni strepitu verborum, sola ad Deum dirigatur intentio et devotio cordium, sociatis sibi omnium votis et desideriis, incipit sacerdos orationem fundere, qua ipsum mysterium dominici corporis et sanguinis consecratur. Sic enim oportet, ut in illa hora tam sacrae et divinae actionis, tota per Dei gratiam a terrenis cogitationibus mente separata et Ecclesia cum sacerdote et sacerdos cum Ecclesia spiritali desiderio intret in sanctuarium Dei supernum et aeternum. Et quoniam *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet ado-*

rare, nam et Pater tales quaerit, qui adorent eum (Joan. 4, 23), sic eundem Deum Patrem deprecetur, et dicat:

62. *Te igitur, clementissime Pater*, usque, *haec sacrosancta sacrificia illibata.* Dirigitur ergo oratio sicut et reliquae orationes juxta regulam fidei et morem Ecclesiae ad clementissimum Patrem, cujus erga nos peccatores et indignos tanta exstitit clementia et misericordia, quantam Apostolus commendat dicens: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit* (Rom. 8, 32). Et iterum: *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, per hanc gratiam spiritum adoptionis accepimus* (Eph. 2, 4), quam commendat Apostolus dicens: *Sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater*, (Rom. 8, 15). Et ideo in hoc Spiritu adoptionis, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, quia eos quos replere dignatur, inenarrabili desiderio gementes et postulantes facit, clamat sacerdos cum Ecclesia non voce, sed corde dicens: *Te igitur, cle-*

mentissime Pater, supplices rogamus et petimus. Quae supplicatio et inclinatio cordis ad Deum tantae reverentiae et humilitatis esse debet, ut imitari queat illud, quod de sua supplicatione Apostolus dicit: *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur* (Eph. 3, 14). In qua flexione genuum non corporis prostratio, sed supplex affectus et cordis contritio intelligitur. De qua Psalmista ait: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies* (Ps. 50, 19).

63. Secundum hoc ergo dicitur: *Supplices rogamus ac petimus*, et hoc per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, per quem omnis supplicatio et petitio nostra ad Deum dirigi debet, tamquam per verum mediatorem et aeternum sacerdotem, qui sedet ad dexteram Patris, et interpellat pro nobis. Pro qua autem re dicit sacerdos ad Deum Patrem *rogamus et petimus*, nisi pro eo quod sequitur, videlicet ut ea, quae ipsi offeruntur dona, munera sancta, sacrificia accepta, id est beneplacita habeat et benedicat? Sacerdotum est enim offerre et majestatem Dei invocare; Dei est autem dignanter suscipere, et ea quae offeruntur benedicere, si-

cut in lege praecipit sacerdotibus dicens: *Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis*, et post verba benedictionis subjungit: *Invocabunt nomen meum super filios Israel et ego benedicam eis* (Num. 6, 23. 27). Quid apertius? Illi invocabunt et ego benedicam, et tamen supra eis dixerat, sic benedicetis, sed illi exorando, ille largiendo. Ita ergo et in oblatione divini sacrificii sacerdotes exhibent offerendi et supplicandi ministerium; sed Deus largitur benedictionis donum per unum et verum sacerdotem, per quem et oblata sanctificat, et sanctificata acceptat. Dicunt itaque:

64. *Uti accepta habeas et benedicas*, ac si suppliciter dicant: Petimus, ut haec Spiritu tuo sanctifices atque ore tuo benedicas, ut quod nostrae humilitatis geritur ministerio, tuae virtutis impleatur effectu. Quod autem subjungitur: *Haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata*, non aliud atque aliud dicitur; sed res una pro sui magnitudine diversa appellatione laudatur, et laudando commendatur. Quae enim divina offeruntur altaribus et *munera* appellantur, sicut Dominus in Evangelio dicit: *Si offers munus tuum ad altare* (Matth. 5, 23), et *dona* vel *sacrificia* dicuntur, sicut ostendit

Apostolus dicens: *Omnis namque sacerdos ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* (Hebr. 5, 1), sed, ut dictum est, ipsa sermonum repetitio tanti sacramenti est commendatio, et piae devotionis excitatio, quia haec sunt vere *sancta* et *illibata*, id est inviolata et incontaminata sacrificia, quae nulla digne possunt verba laudare, quae in mysterio dominici corporis offeruntur, in cujus figuram hostiae illae veteris legis immaculatae ac sine ullo vitio jubebantur offerri, qualis solus inventus est Christus sine ullo omnino peccato. Sequitur sacerdos et dicit:

65. *In primis quae tibi offerimus* usque *famulo tuo papa nostro.* Sic omnino dignum fuit, ut inciperet sancta oblatio, videlicet pro Ecclesia Dei sancta catholica toto terrarum orbe diffusa. Ipsa est enim universitas sanguine Domini redempta. Ipsa est hereditas a Patre ei promissa et data, sicut ipse Pater loquitur in psalmo: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae* (Psal. 2, 8). Haec unitas corporis Christi „templum Dei est [1]), cui Apo-

[1]) Haec composita sunt ex verbis Augustini in serm. *in Ps.* 130. n. 1.

stolus dicit: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (1. Cor. 3, 17), omnes qui credunt in Christum, et sic credunt ut diligant. Hoc est enim credere in Christum diligere Christum. Tamquam lapides sunt vivi, de quibus templum Domini aedificatur. Hoc autem templum est, ubi rogatur Deus et exaudit. Quisquis enim praeter templum oraverit Deum, non exauditur ad illam pacem supernam," non exauditur ad vitam aeternam, quae non conceditur nisi ei, qui in templo Dei orat, qui orat in pace Ecclesiae, in unitate corporis Christi, quod corpus Christi constat ex multis credentibus in toto orbe terrarum. Et ideo exauditur qui orat in templo, quia ipse orat in spiritu et veritate, merito ab et pro ea, quia in ea incipit divina oblatio, tamquam dicatur Deo de illa et in illa: *Exaudi nos, Deus, salutaris noster, spes omnium finium terrae et in mari longe* (Psal. 64, 6). Ipsa est namque unitas, quae a finibus terrae, id est ab oriente et occidente, septentrione et meridie ad Dominum clamat, et dicit a finibus terrae: *Ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum* (Psal. 60, 3).

66. Hinc et Ecclesia graece dicitur, „quod

in latinum vertitur convocatio [1]), eo quod omnes ad se convocet, et catholica appellatur, id est universitatis. Non enim, sicut conventicula haereticorum, in aliquibus regionum partibus coarctatur; sed per totum terrarum orbem dilatata diffunditur.“ Hinc et universitas ab uno cognominata est, eo quod in unitatem colligitur, unde ait Dominus in Evangelio: *Qui mecum non colligit, spargit* (Luc. 11, 23), id est qui in unitatem meam non colligitur, a me divisus in dispersionis perditione dissipatur. Pro hac itaque primum in illa oblatione postulatur, ut eam Deus toto orbe terrarum pacificare dignetur, videlicet ne per haereses ac schismata ejus unitas dilanietur, aut adversitate persecutionum ejus tranquillitas perturbetur. Ut enim hanc pacem tam interius quam exterius faciat Deus Ecclesiae suae, et ipse Apostolus erat dicens: *Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu* (Phil. 4, 7). Et omnem Ecclesiam orare admonet, cum ait: *Volo igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gra-*

---

[1]) Ita fere Isidorus hispal. *Etymologiarum* l. 8. c. 1. n. 1.

tiarum actiones. Et post paululum: *Ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate* (1. Tim. 2, 1).

67. Postulatur autem omnipotens Deus, ut illam custodire, adunare et regere dignetur. Ipse est enim verus custos populi sui, id est veri Israel, de quo in psalmo cantatur: *Ecce non dormitavit neque dormiet qui custodit Israel* (Ps. 120, 3); et iterum: *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (Ps. 126, 1). Id ipsum autem videtur adunare quod pacificare, id idipsum custodire quod et regere; quia Ecclesiam suam Deus et pacificando adunat, et adunando pacificat, et custodiendo regit, et regendo custodit. Pacificando namque adunat, cum omnium fidelium corda in sua pace conjungit, cum omnium fidelium mentes per unitatem fidei, spei et caritatis unius efficit voluntatis, ut per Spiritum sanctum caritate diffusa impleatur in ea quod scriptum est: *Multitudinis credentium autem erat cor unum et anima una* (Act. 4, 32); et *ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (Ps. 131, 1). Custodiendo quoque regit eandem Ecclesiam, cum inter omnia pericula clementer eam gubernat et dirigit. Cui orantes in psalmo dicimus: *Sal-*

vum fac populum tuum, et benedic hereditati tuae, et rege eos et extolle eos usque in aeternum (Ps. 27, 8).

68. Quod vero post generalem Ecclesiae commendationem adjungitur: *Una cum famulo tuo papa nostro*, ipsa unitas ecclesiastici corporis fortius commendatur, quia divinae religionis cultum, ut beatus Leo scribit (ep. 10. c. 1), quem in omnem gentes omnesque nationes Dei voluit gratia coruscare, ita Dominus noster Jesus Christus humani generis Salvator instituit, ut „hujus muneris sacramentum in beatissimo Petro apostolorum summo principaliter collocaret, atque ab ipso, quasi quodam capite, dona sua vellet in corpus omne manare, ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus esset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuae unitatis assumptum, id quod ipse erat voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Matth. 16, 18)." Unde constat, sicut iterum beatus papa Pelagius docet, ab universi orbis communione separatos esse, qui qualibet dissensione inter sacra mysteria apostolici pontificis memoriam secundum consuetudinem non frequentat. Sequitur in mysterio:

69. *Et antistite nostro, et omnibus orthodoxis atque apostolicae fidei cultoribus.* Sicut enim universali Ecclesiae commemoratio propter unitatem societatis et pacis conjungitur commemorationi apostolici pontificis, ita dignum et religiosum est, ut singulae ecclesiae commemorationem subjungant suorum antistitum, probantes se per illam orationem dominicae oblationis servare cum eis unitatem spiritus in vinculo pacis. Ὀρθόδοξοι autem graece, latine *rectae gloriae* dicuntur, eo quod nullo haeretico (errore) depravati, rectae fidei confessione Deum glorificent. Iidem ipsi ergo sunt catholicae et apostolicae fidei cultores, catholicae, id est universalis, quam universa ubique servat Ecclesia, ejusdemque et apostolicae, quam in toto mundo apostolorum doctrina fundavit.

70. Cultores autem hujus fidei non possunt dici nisi illi, qui recte credunt et veraciter diligunt. Hoc enim unusquisque colit, quod maxime diligit. Unde et de quibusdam gulae et ventris amatoribus ait Apostolus: *quorum Deus venter est* (Phil. 3, 19). Ille ergo veritatis cultor, qui jungit fidei dilectionem, ut Deum, de quo recte credit, diligendo colat, et colendo promeretur. Ipsa est fides, quam commendat Apostolus dicens: *In*

Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per dilectionem operatur (Gal. 6, 15). Neque enim in confusione paganorum, neque in purgamentis haereticorum, neque in languore schismaticorum, neque in coecitate judaeorum quaerenda religio est; sed apud eos solos, qui christiani, catholici vel orthodoxi nominantur, id est integritatis custodes et recta sectantes.

71. Completa hac oratione, qua in primis universalis Ecclesia cum apostolico pontifice et omnibus orthodoxis Deo commendatur, adjungitur in conclusione more solito: *Per Christum Dominum nostrum.* Aliter enim nec oratio nec oblatio Ecclesiae Deo offerri potest, nec illa [1]), pro quibus Deus exoratur, accipere, nisi per unum mediatorem Dei et hominum, qui interpellat pro nobis. Quod ergo offert Ecclesia, offert per illum; quod Deus eandem Ecclesiam pacificare, custodire, adunare dignetur, praestat per illum: per ipsum nostra ad Deum vota ascendunt, per ipsum divina ad nos dona descendunt. Hoc namque ipse in Evangelio

---

[1]) *Nec illa, pro quibus,* nec Ecclesia constans ex omnibus fidelibus, pro quibus.

commendat dicens: *Quia ego ad Patrem vado, et quidquid petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut clarificetur Pater in Filio* (Joan. 12, 23). Quam petitionis formam in omni oratione sua custodit Ecclesia. Sequitur in mysterio:

72. *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, et omnium circumadstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio.* In quibus verbis cum primum dicitur: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum*, et sic deinde subjungitur: *et omnium circumadstantium*, manifestum est, quod quasi quidam locus sit, ubi, aliquibus specialiter nominatis, etiam ceterorum, qui assistunt in Ecclesia, commemoratio adjungatur. In quo itaque loco aut liberum est sacerdoti, quos desideraverit particulariter nominare, et nominatim Deo commendare: aut certe illud ab antiquis observatum est, ut ibi offerentium nomina recitarentur, quod videtur beatus papa Innocentius in quadam epistola significare, ubi ait: „Superfluum est, ut cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen insinues, quamvis illi incognitum nihil sit. Prius ergo oblationes sunt commendandae, ne tunc eorum nomina, quorum sunt edicenda, ut inter sa-

cra mysteria nominentur, non inter alia, quae ante praemittimus, ut ipsi mysteriis viam futuris precibus aperiamus.“ Fit ergo haec oratio ad Deum Patrem, ut memor esse dignetur famulorum famularumque suarum, utriusque videlicet sexus sibi servientium, non solum eorum qui nominantur, sed et omnium circumadstantium, ac de omnibus et pro omnibus simul dicitur, *quorum tibi fides cognita est et nota devotio*, id est, quam recte credant, quam devote te diligant, tu solus vides in conscientiis singulorum. Tu es enim scrutans corda et renes, et tibi veraciter dictum est: *Tu enim solus nosti corda filiorum hominum* (3. Reg. 8, 39), qui in tuis cultoribus magis oblationem fidei et devotionis requiris; fidei, cum per legislatorem tuum dicis: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* (Deut. 6, 4); devotionis, cum statim adjungit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (Ibid. 5). Et hanc (cum) fidem et devotionem Deo offerre, hoc est vere sacrificium salutare, est attendere mandatis. Sequitur in mysterio:

73. *Qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, tibique reddunt vota sua aeterno Deo vivo et vero.* In quibus verbis considerandum est, quod tota Ecclesia offerat Deo

illud sacrificium laudis; et quia de omni multitudine circumstantium fidelium dicitur: *Qui tibi offerunt.* Quod enim adimpletur proprie ministerio sacerdotum, hoc generaliter agitur fide et devotione cunctorum. Omni enim Ecclesiae dicitur per beatum Petrum apostolum: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium* (1. Petr. 2, 9), *offerre spiritales hostias et acceptabiles Deo per Jesum Christum* (ib. 2, 3). Omnem ergo Ecclesiam sacerdotium sanctum appellat, quod sola domus Aaron in lege nomen et officium habuit, quia nimirum omnes fideles summi sacerdotis membra exsistunt, cuncti oleo laetitiae signantur, illius corpori uniti, qui rex summus et sacerdos est verus. Regnum suis tribuit ut rex, et ut pontifex eorum peccata sui sanguinis hostia mundans, quamquam et in eadem lege veteris Testamenti hujus spiritualis sacerdotii, quo tota Eccesia consecratur, evidenter mysterium commendatur, cum ille agnus in pascha mactandus, quod nobis immolatus est Christus, non a solis sacerdotibus, sed ab universo generaliter populo jubetur immolari, dicente Domino: *Immolabit eum omnis multitudo filiorum Israel ad vesperam* (Exod. 12, 6). Hunc namque agnum in paschali solemni-

tate immolatum eadem lex et victimam et hostiam et sacrificium esse commendat, praecipiente Domino et dicente: *Non immolabit super fermento sanguinem hostiae meae, neque residebit mane de victima solemnitatis phase* (Exod. 34, 25). Et iterum: *Nemo*, inquit, *qui fuerit immundus super anima sua, in via procul in gente vestra, faciat phase Domino mense secundo* (Num. 9, 10). Et post pauca: *Si quis autem mundus est, et in itinere non fuit, et tamen non fecit phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo* (Ibid. 13). Offerunt ergo sacerdotes Ecclesiae, offert per ipsos et in ipsis tota Ecclesia Deo sacrificium laudis, quod a cultoribus suis sibi offerri ipse praecepit, dicens: *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua* (Psal. 49, 14).

74. Non quod a nobis tamquam indigens expetat laudem; sed ut in ea nobis consulat ad salutem, sicut et in eodem psalmo iterum dicit: *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic via est, ubi ostendam salutare meum* (Ibid. 23). Quid est enim salutare Dei, nisi Filius Dei, Salvator mundi? Ipse igitur sacerdos et victima sacrificium

laudis implevit, malorum operum tribuens indulgentiam, et bene operandi largiens gratiam. Ad hoc enim Domino sacrificium laudis ab ejus cultoribus immolatur, ut qui gloriatur in Domino glorietur. Hoc ergo sacrificium laudis, id est oblationem dominicae passionis, in qua nulla nostra merita agnoscimus, sed solam Dei gratiam collaudamus (quia in hoc apparuit caritas Dei in nobis, quia unigenitum Filium suum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris); hanc offert devotio fidelium pro se suisque omnibus, id est ad se vel genere vel familiaritate, vel qualibet alia conditione, sub ejusdem fidei professione pertinentibus, tam viventibus videlicet quam mortuis.

75. Et hoc qua spe fideles faciant subjungitur, quae non pro aliquo temporali lucro, sed solummodo *pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae* pro spe videlicet aeternae salutis (spe enim salvi facti sumus), nec solum pro salute aeterna, sed etiam pro temporali incolumitate, id est corporali sanitate. Incolumitas enim sanitatis integritas. Utraque e-

nim salus, animae scilicet et corporis, ab illo est, de quo in psalmo canitur: *Domini est salus* (3, 9). *Tibi*, inquit, *reddunt vota sua aeterno Deo vivo et vero*, juxta quod in psalmo dicitur: *Et redde Altissimo vota tuae* (49, 14), vota videlicet fidei et piae devotionis, per quam nosmetipsos Deo vovimus et reddimus. Quisquis enim bene cogitat quod Deo voverat et quae vota persolvat, hac exigitur, hac debetur [1]), ut seipsum voveat et reddat. Sed sicut videndum est qui offerat, ita etiam considerandum est ubi offerat; quia veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam locus non est, unde multum consequenter adjungitur in mysterio:

76. *Communicantes et memoriam venerantes in primis*, etc., usque, *et omnium sanctorum tuorum.* Quos dicit communicantes et memoriam venerantes beatae Genitricis Dei, et apostolorum et martyrum, et omnium sanctorum, nisi et seipsum sacerdos qui offert, et omnes circumstantes, qui simul offerunt unum sacrificium laudis? Quod ut Deo possit esse acceptum et beneplacitum,

---

[1]) *Hac exigitur*, hac in parte canonis seu sacrificii monetur, *hac debetur*, hac in parte obligatur, *ut seipsum voveat* etc.

non alibi hoc offerunt sacerdotes et Ecclesia cum sacerdotibus, nisi in communione et societate sanctorum, in quibus voluit idem omnipotens Deus Ecclesiae suae constare fundamentum, sicut Apostolus dicit: *Estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum* (Eph. 2, 19). In eorum ergo communione et memoriae veneratione tamquam in templo vero Dei, offert devotio fidelium Deo vota et munera sua, et ideo fiunt communicantes eorum memoriae tamquam filii patrum et sectatores praecedentium. Quid est enim *communicantes*, nisi *communionem et societatem tenentes?* Et quid est eorum memoriam venerari, nisi cum pietate et humilitate eorum vestigia sequi? Ad hanc societatem nos beatus Joannes apostolus invitans ait: *Quod vidimus et audivimus, annunciamus vobis.* Et quasi interrogaremus, quid nobis prodesset illa annunciatio, ait: *Ut et vos societatem habeatis nobiscum.* Et ne quis contemnendum putaret hanc societatem tamquam hominum, continuo adjunxit: *Et societas vestra sit cum Patre et Filio ejus* (1. ep. 1, 3) Jesu Christo, manifeste ostendens, quia quicunque societatem cum Deo habere desiderant, primo

Ecclesiae societati debent adunari, illamque fidem addiscere et ejus sacramentis imbui, quam apostoli ab ipsa praesente in carne Veritate perceperunt. Pro ipsa enim et sancti martyres passi sunt, et ipsa catholica fundatur Ecclesia, cui beatae et gloriosae Virginis partus exstitit salutis exordium.

77. Quae vere semper creditur virgo, quia vel si Domino nascente corrumperetur ejus integritas, non jam ille de Virgine nasceretur, cumque falso, quod absit, natum de virgine Maria tota confiteretur Ecclesia, cui pro humani generis salute vero homini facto singulari munere datum est, ut statim ex quo in utero Virginis concipi et homo fieri inciperet, verus esset et Deus: unde et eadem gloriosa semper virgo Maria vera Dei genitrix credenda est et confitenda. Ipsa ergo in hac venerabili communione sanctorum prima ponitur, per quam et illi et nos meruimus auctorem vitae suscipere, et ei conjungitur communicatio beatorum apostolorum et martyrum, non solum qui hic nominatim exprimuntur, sed et omnium, quorum nec numerum nec nomina scire possumus. Et tamen, si istis paucis nominatis pie adhaeremus, etiam illis, quos nosse non possumus, in horum

communione copulati sumus. Sequitur in mysterio:

78. *Quorum meritis precibusque concedas:* Propter merita namque et intercessiones sublimium justorum, quos intercessores et patronos quaerimus, nostrae infirmitati Dominus miseretur et propitiatur, ut in omnibus sive adversis, sive prosperis, ne vel in istis deficiamus, vel in illis decipiamur, protectionis ejus muniamur auxilio.

79. Denique defesso ab hostibus Ezechiae et auxilium ejus invocanti ait: *Civitatem hanc salvabo, et protegam eam propter me et propter David servum meum* (4. Reg. 20, 6); et Moyses ita deprecans Deum placare curabat: *Quiescat*, inquiens, *ira tua, et esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac et Israel servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum dicens: Multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli* (Exod. 32, 12). Nec dubitandum est fidelium petitiones a spiritibus justorum sciri, quia qui intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia sit foris aliquid quod ignorent. Postulat ergo Ecclesia suffragia sanctorum martyrum, nec tamen erigit altaria, in quibus sacrificet martyribus, sed uni Deo et marty-

rum et nostro. „Ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco et ordine nominantur, non tamen a sacerdote qui sacrificat invocantur [1]). Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoriis sacrificet eorum, quia Dei sacerdos est, non illorum. Ipsum vero sacrificium est (corpus) Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt et ipsi.“ Sequitur in mysterio:

80. *Hanc igitur oblationem servitutis nostrae*, etc., usque. *Per Christum Dominum nostrum.* Et in his verbis unitas Ecclesiae offerentis ostenditur, quando in illa sacrosancta oblatione communis servitus exhibetur Deo tam a sacerdotibus quam a cuncta familia domus Dei. Haec autem est servitus, quae nulli alii debetur, nec sanctis angelis, nec sanctis animabus, nisi uni Deo vivo et vero, de quo nobis praecipitur: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (Matth. 4, 10). Etsi enim ab homine

---

[1]) *Non invocantur* scil. eo tempore, quo in canone eorum nomina recitantur, neque eo invocationis genere, quo per ipsum sacrificium Deus ad impetrandas uberrimas gratias invocatur. Sunt haec verba Augustini *de civit. Dei* l. 22. c. 10. ex quo supplevimus vocem *corpus*, quae excidit in editis.

sit vel offertur, tamen sacrificium res divina est, unde et alibi divina lege praecipitur: *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli.* Unde merito illi in coelestibus sedibus constituti immortales et beati, quia nos mortales et miseros, ut immortales beatique simus, misericorditer diligunt, nolunt nos sibi sacrificare, sed ei, cujus et ipsi nobiscum sacrificium esse petiverunt. Cum ipsis enim sumus una civitas, cujus pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur. Oratur itaque Deus, ut hanc oblationem, quam illi soli debita servitute defert Ecclesia, placatus accipiat. Haec est vera oblatio, in qua Filius offertur, Pater reconciliatur, et vitali oblatione placatus dies nostros in sua pace disponit, ut, etsi in mundo pressuram habemus, in illo pacem habeamus. Finito autem hujus mortalitatis cursu, ab aeterna damnatione ereptos, in electorum suorum grege nos annumerare dignetur. (Greg.) Quia ipsa quoque perennis regni praedestinatio ita est ab Omnipotente disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit donare. Sequitur in mysterio:

81. *Quam oblationem tu, Deus, in om-*

nibus, etc. Oratur Omnipotens, ut oblationem suis sacris altaribus impositam et tantis precibus commendatam, ipse per virtutem descendentis [1]) ita legitimam et perfectam eucharistiam efficiat, ut in omnibus sit adscripta, id est in numerum placitorum sibi numeretur recepta; sit etiam rata, id est immobili firmitate perpetua. Hoc namque dicitur ratum, quod est immobili ratione firmum et inconvulsum. Sit quoque ejusdem Spiritus sancti operante virtute, rationabilis et per haec omnia singulariter Deo grata et acceptabilis, ut, quamvis de simplicibus terrae frugibus sumpta, divinae benedictionis ineffabili potentia efficiatur corpus et sanguis unigeniti Filii Dei, sicut ipse testatur: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (Joan. 6, 56), ut per hunc cibum et potum impleatur in mentibus sumentium quod ipse promittit dicens: *Sicut me misit vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me* (Ibid. 58).

82. Haec est ergo vera et aeterna hostia, quia vera et aeterna est virtus, vera et aeterna per eam perficitur salus. Est enim novi

---

[1]) Excidisse videntur verba *Spiritus sancti.*

et aeterni Testamenti. Haec est rationalis hostia, plena videlicet rationis, plena mysterii, quae tunc tractabili tractatione in veteribus sacrificiis fiebat, sed nunc spiritali ratione celebratur et fidei puritate exhibetur, juxta Apostolum fidelem praecipientem rationabile obsequium nostrum. Ut enim hoc Apostolus diceret, utique de spiritali sacrificio loquebatur. Unde et alibi ait: *Necesse est ergo exemplaria quidem coelestium his mundari* (Hebr. 9, 23); ipsa autem coelestia melioribus hostiis quam istis. Ut enim corda fidelium fierent coelestia, et, sicut portaverant imaginem terreni, portarent et imaginem ejus qui de coelis est, et qualis coelestis tales fierent et coelestes, non brutorum animalium cruore, sed rationabili sanguinis Christi cruore mundari debuerunt; qui, ut idem testatur Apostolus, per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo. Hoc namque nobis in sacramento corporis et sanguinis Filii Dei quotidie instauratur.

83. Hoc corpus et hic sanguis non in spicis et in sarmentis colligitur, sed certa consecratione mysticus fit[1]). Novus (nobis) non nasci-

---

[1]) Respicit hic auctor quae scribit s. Augustinus *adversus Faustum* manichaeum l. 20. c. 13:

tur, cum panis et vini creatura in sacramentum carnis et sanguinis ejus ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur. Quod autem non ita sit (lege *fit*) quamvis sit panis et calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis, quo divinum altare Christus implevit. Invitavit ergo Dominus servos, et praeparavit eis cibum seipsum. Quis audeat manducare Dominum suum? Et tamen ait: *Qui manducat me, vivit propter me* (Joan. 6, 58). Quando Christus manducatur, vita manducatur, non occiditur ut manducetur, sed mortuos vivificat, quando manducatur. Reficit, sed non deficit; manducatur Chri-

---

„Cur autem arbitretur Faustus, parem nobis esse religionem circa panem et calicem nescio, cum manichaeis vinum gustare non religio, sed sacrilegium sit. In uva enim agnoscunt deum suum, in cupa nolunt, quasi aliquid eos calcatus et inclusus offenderit. Noster autem panis et calix, non quilibet (quasi propter Christum in spicis et sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt), sed certa consecratione mysticus fit *nobis* (non *novus*, ut habent editi nostri auctoris), non nascitur. Proinde quod non ita fit, quamvis sit panis et calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis.“ Sensus autem Flori est, panem eucharisticum non esse naturalem, sed transubstantiatione effici. — *Quod autem non ita sit*, omnino legendum *fit*, ut patet ex Augustino, quem citat, et exigit sensus.

stus, vivit manducatus, quia resurrexit occisus; nec, quando manducamus, partes de illo facimus; et quidem in sacramento sic fit, per partes manducatur in sacramento [1]), et manet integer totus in coelo, manet integer totus in corde tuo. Sequitur in mysterio:

84. *Qui, pridie quam pateretur, accepit panem*, etc., usque ad *haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* (Unde universalis Ecclesia, ut jugem memoriam Domini et Redemptoris celebret, ipse Dominus tradidit apostolis, et apostoli generaliter omni Ecclesiae [2]). In his verbis, sine quibus nulla lingua, nulla regio, nulla civitas, id est nulla pars Ecclesiae catholicae conficere potest, id est consecrare sacramentum corporis et sanguinis Domini, ipse Dominus tradidit apostolis, unde universalis Ecclesia jugem memoriam sui Redemptoris celebret, et apostoli generaliter omni Ecclesiae. Chri-

---

[1]) Per partes manducatur in sacramento, quatenus seorsim praebetur corpus sub specie panis, et sanguis sub specie vini; et panis eucharisticus per partes distribuitur inter communicantes.

[2]) Haec verba abundare videntur, repetuntur enim mox: quocirca ea uncinis inclusimus.

sti ergo virtute et verbis semper consecratur et consecrabitur. Illius sermo est, qui coelestia sacramenta sanctificat. Ille in suis sacerdotibus quotidie loquitur. Illi funguntur officio, ille majestate divinae potestatis operatur. Ipse est enim ille verus Melchisedech, qui haec sancta sacrificia, quae ille tunc in mysterio praefiguravit, per oblationem sui corporis suique sanguinis adimplevit. Ipse ex Spiritus paracliti virtute et coelesti benedictione sanctum corpus et sanguinem suum esse perficit.

85. Quod autem de pane ait: *Accipite et manducate ex hoc omnes*; similiter et de calice: *Accipite et bibite ex eo omnes*, commendatio est unitatis et pacis, ut per hoc mysterium Christo participantes, unum omnes simus in illo, sicut Apostolus affirmat, dicens: *Non est judaeus neque graecus; non est servus neque liber, non est masculus neque femina; omnes enim vos unum estis in Christo Jesu* (Gal. 3, 28). Hanc nempe unitatem in communicatione hujus sacramenti alibi commendat dicens: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio cor-*

poris Christi est. Quoniam unus panis, unum corpis multi sumus omnes, qui de uno pane participamus (1. Cor. 10, 16)? Tanta enim Ecclesiae est in Christo unitas, ut quomodo una fides et unum baptisma et unum altare, de quo ait Isaias: *Erit altare Domini in medio terrae Aegypti* (Isa. 19, 19); ita unus ubique sit panis corporis Christi et unus calix sanguinis ejus. Unde et Ecclesia ex traditione his verbis consecrans mysterium sacri corporis et sanguinis Domini, designanter dicit Dominum dixisse apostolis: *Accipite et manducate ex hoc omnes; hoc est enim corpus meum. Simili modo posteaquam coenatum est, accipiens et hunc calicem praeclarum.* Attendat fidelis quisque, quid est quod dicat *hunc*, videlicet quod calix, quem sacerdos catholicus sacrificat, non est alius, nisi ipse quem Dominus apostolis tradidit. Sicut ergo de sanguine, sic quoque de corpore sentiendum et tenendum est. Quod autem *praeclarum calicem* dicit, manifeste de psalmo sumptus est: *Et calix tuus inebrians quam praelarus est* (Psal. 22, 5)? Et vere praeclarus, quo sanguis offertur immaculatus, nulla peccati macula tectus. Hoc poculo fidelium inebriatur affectus, ut laetitiam induat de remissione

peccati. Hac ebrietate animus non confunditur, sed consecratur.

86. Item, quod in his verbis dicitur: *Novi et aeterni Testamenti*, manifestum est, quia in Evangelio non legitur, nisi tantummodo: *Calix sanguinis mei novi Testamenti*, sed quod hic additur *aeterni* et in propheticis et in apostolicis literis continetur. Nam in Isaia legimus, promittente Deo fidelibus: *Et feriam vobiscum pactum* (Is. 55, 3), id est testamentum sempiternum; et in Ezechiele, ubi promittit Ecclesiae: *Et suscitabo tibi pactum sempiternum* (Ezech. 16, 60); et Apostolus dicit: *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* (Hebr. 10, 14); et iterum: *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem, Agnum ovium in sanguine Testamenti aeterni Dominum nostrum Jesum Christum* (Hebr. 13, 20). Ideo ergo sanguis Christi novum est testamentum, quia nova dilectio, qua usque ad mortem in novissimis seculorum temporibus nos dilexit. Dilectio ista nos innovet, ut simus homines novi, heredes Testamenti novi, sicut et apostolus docet, dicens: *Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundavit conscientiam no-*

stram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi Testamenti mediator est (Hebr. 9, 14). Per hunc ergo sanguinem novi Testamenti, qui est effusus in remissionem peccatorum, emundavit, id est innovavit conscientiam fidelium, et fiunt iidem fideles juxta eundem Apostolum heredes secundum spem vitae aeternae, et repromissionem accipiunt qui vocantur aeternae hereditatis. Et ideo sanguis ille novi et aeterni est Testamenti, quia quos a vetustate innovat, ad aeternam hereditatem perducit. Hinc Zacharias propheta, velut ad ipsum Dominum loquens, ait: *Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua* (Zach. 9, 11): quia videlicet per hujus sanguinis effusionem et antiqui justi spe futurae redemptionis devincti ab inferni claustris educti sunt, et per eundem etiam omnes credentes a peccatorum vinculis et de lacu miseriae et de luto faecis eripiuntur.

87. Item, quod hic dicitur *mysterium fidei*, et in illis verbis Domini, quibus mysterium corporis et sanguinis sui tradidit, non legitur, videtur de alio loco Evangelii sumptum esse, ubi, secundum Joannem, de hoc eodem sacramento quibusdam discipulis non

credentibus loquens ait: *Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt, sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt* (Joan. 6, 64, 65). Ostendit enim se magnum dixisse mysterium, cum ait: *Verba quae ego locutus sum, spiritus et vita sunt.* Cum autem adjungit: *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt*, ostendit illud mysterium non esse nisi fidei et fidelium, qui illa verba fideliter audiunt; et ideo eis spiritus et vita sunt: quia eos spiritaliter intellecta vivificant. Aut certe haec verba de Apostolo sumpta sunt, ubi ait: *Habentes mysterium fidei in conscientia pura* (1. Tim. 3, 9), quia sicut sacramentum sanctae Trinitatis, ita et sacramentum dominicae passionis et mortis, quod illa oblatione frequentatur, aequaliter necessarium ad salutem, aequaliter in conscientia pura est sumendum ac retinendum. Quod etiam in baptismate celebratur, docente eodem Apostolo ac dicente: *Quicunque enim baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus* (Rom. 6, 3).

88. Totum ergo, quod in hac oblatione dominici corporis et sanguinis agitur, mysterium est: aliud enim videtur, aliud intelligitur: quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiri-

tualem. Sciendum vero, quod eundem calicem Domini sanguinis juxta observantiam Ecclesiae catholicae ab apostolis traditam, nisi mistum aqua offerri non licet, quia vinum fuit redemptionis nostrae mysterium, cum ait: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis* (Marc. 14, 25), et de latere ejus, quod lancea transfixum est, aqua cum sanguine egressa vinum de vera carnis ejus vite cum aqua expressum ostendit. Haec sunt enim sacramenta Ecclesiae, sine quibus ad vitam, quae vere vita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum, aqua illa salutare temperat poculum: haec et lavacrum praestat et potum.

89. Hoc totum dominicae oblationis mysterium quanta pietate et amore agendum est et accipiendum sit, commendat nobis ipse Dominus dicendo: *Haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis* (Luc. 22, 19). Quod exponens Apostolus ait: *Quoties enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat* (1. Cor. 11, 26). Illius ergo panis et calicis oblatio mortis Christi est commemoratio et annunciatio, quae non tam verbis quam mysteriis ipsis agitur, per quae nostris mentibus mors illa pretiosa altius

et fortius commendatur. Quid est enim mortis Christi commemoratio, nisi caritatis ejus commendatio, quam nobis beatus evangelista Joannes commendans ait: *Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat de hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit* (Joan. 13, 1), id est usque ad mortem eum illa dilectio perduxit, quia tantum dilexit eos, ut moreretur propter eos. Hoc enim testatus est, dicens: *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis* (Joan. 15, 13). Propterea et iturus ad passionem, et per resurrectionis et ascensionis gloriam discessurus e mundo, hoc sacramentum ultimum discipulis tradidit, ut memoriam tantae caritatis, per quam solam salvamur, arctius eorum mentibus infigeret; quatenus semper memores simus, quales, ne de nobis gloriemur; quantum, ut de illo speremus, quod utrumque diligenter Apostolus imponit et inculcat, dicens: *Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est* (Rom. 5, 6)? et post paululum: *Commendat autem*, inquit, *suam caritatem Deus in nobis, quoniam si, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mor-*

tuus est, multo magis justificati nunc in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius (Rom. ib. v. 8. ss.).

90. Hoc ergo agendum, hoc frequentandum commendavit, quo usque ipse veniat in fine seculi, quando erit sanctorum requies, non adhuc in sacramento spei, quo in hoc tempore consociatur Ecclesia, quamdiu bibitur quod de latere Christi emanavit, sed jam ipsa perfectione salutis aeternae, cum tradetur regnum Deo et Patri, ut in illa perspicua contemplatione incommutabilis veritatis, nullis mysteriis corporalibus egeamus. „Haec namque singulariter victima ab aeterno interitu animam salvat, quae illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat. Qui, licet surgens a mortuis, jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur; tamen in se ipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salute partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro

absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur [1])." Sequitur in mysterio:

91. *Unde et memores nos servi tui*, etc., usque ad *calicem salutis perpetuae.* Quia Dominus et Salvator noster mysterium suae mortis, quam pro nostra omniumque salute suscepit, tanta pietate memoriae fidelium commendavit, ut per oblationem et participationem corporis et sanguinis eandem vivificavit mortem suam [2]). Et quia in participatione corporis et sanguinis sui vivificam suam mortem nos annunciare voluit Dominus et Salvator noster, donec ipse veniat, dignum et salubre est, ut haec veneranda mysteria frequentando memores sint sacerdotes et populus, universa videlicet Ecclesia, beatae passionis ejus. Et vere beatae, quia sine peccato suscepta, totius mundi peccata delevit; et quia non solum, ut Apostolus ait: *Mortuus est propter delicta nostra*, sed etiam *resurrexit propter justificationem nostram* (Rom. 4, 25), memores simus resurrectionis quoque ejus ab inferis; et quoniam

---

[1]) Haec sunt s. Gregorii M. *dial.* l. 4. c. 58.

[2]) *Mortem suam vivificavit*, vivificam vel quasi vivam, permanentem in Ecclesia effecit.

resurgens a mortuis et assumptus in coelum, sedet a dextris Dei, simus memores etiam gloriae ascensionis ejus. Haec est enim tota salus nostra et vita, si incessanter memores simus.

92. Memores igitur dominicae passionis, resurrectionis et ascensionis, tam sacerdotes quam plebs fidelis offerunt praeclarae, id est praecellenti et gloriosae majestati Dei, non de suo, sed de ejus donis ac datis, juxta quod scriptum est: Et quae de manu tua accepimus, dedimus tibi in mysterio dominici corporis et sanguinis vere hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam. Quae trina repetitio tanti mysterii est laudatio. Haec namque hostia, quam hostiam puram, sanctam, immaculatam dicimus, id est panem sanctum vitae aeternae et calicem salutis perpetuae, sumentibus vita aeterna est, dicente Domino: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* (Joan. 6, 59). Quam vero hostiam puram, sanctam et immaculatam offert Ecclesia, nisi quam a Domino accepit? id est panem sanctum vitae aeternae et calicem salutis perpetuae.

93. In hoc enim pane sumentibus vita aeterna est, sicut ipse Dominus panis vivus et panis vitae de se ipso ait: *Ego sum pa-*

nis vivus, qui de coelo descendi (Joan. 6, 51); et iterum: *Panis enim Dei, est qui descendit de coelo, et dat vitam mundo* (Ibid. 33); et alio loco dicit: *Qui manducat hunc panem, vivit in aeternum* (Ibid. 59). Et quod iste sit panis corporis, ipse exponit dicendo: *Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (Ibid. 52). Ergo et calix sanguinis ejus, calix est salutis aeternae, quia sanguis ille pro multis effusus est in remissionem peccatorum, ut salvum faceret populum suum a peccatis eorum. De hoc canitur in psalmo: *Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo* (Psal. 115, 13). Est enim calix iste salutaris accipienti in sacramenti perceptione et in passionis imitatione, sicut a sanctis martyribus acceptus est. Hunc panem significavit manna, hunc panem tribuit altare Dei. Noverunt fideles Christi corpus; si in Christi corpore homo fuerit, accipiet de Christi spiritu. Sicut autem corpus nostrum sine spiritu non potest vivere, sic non habebit spiritum vitae, nisi qui in Christi corpore fuerit inventus. Qui vult vivere, accedat, credat, vivat Deo de Deo; incorporetur, ut vivificetur. „Hoc est enim manducare illam escam, et illum bibere potum, in Christo manere, et illum ma-

nentem in se habere [1]), sicut ipse dicit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo* (Joan. 6, 57). Sequitur in mysterio:

94. *Supra quae propitio ac sereno vultu*, etc., usque *immaculatam hostiam.* Oratur Deus, ut super haec munera vitae et salutis, quae praeclarae majestati ejus offeruntur, propitio, id est placabili et sereno vultu respicere dignetur, non quia vultus ejus aliquando serenatur, ut (f. cum) ipse sit Pater luminum, ut beatus Jacobus dicit: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (Jac. 1, 17); et beatus Joannes testatur: *Quoniam Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae* (1. Joan. 1, 5). Sed qui semper in lumine est, tunc super nos serenat ac illuminat vultum suum, quando declarat super nos misericordiam, sicut in psalmo orantes dicimus: *Illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri* (Psal. 66, 2). Sicut e contrario de quibusdam, qui ejus misericordia indigni sunt, ipse dicit: *Abscondam faciem meam ab eis* (Deut. 31, 17). Et iterum quibus se placabilem praebet, pro-

---

[1]) Haec sunt Augustini ex tract. 26. *in Joan.* n. 18.

mittit dicens: *Et non avertam faciem meam a vobis* (Jerem. 3, 12). Unde et beatus Daniel istis ipsis verbis exorat, dicens: *Exaudi, Domine, preces servi tui, illumina faciem tuam super sanctuarium tuum, et propitius intende populum istum, super quem invocatum est nomen tuum* (Dan. 9, 17). Neque enim Deus humana forma faciem aut vultum habere putandus est: quia, ut Dominus in Evangelio ait: *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (Joan. 4, 24). Sed facies et vultus Dei praesentia ejus est. Quid est enim facies Dei super nos illuminata, nisi praesentia declarata, cum misericordiam et bonitatem ipsius praesentem nobis adesse sentimus? Sic et respicere Dei visitatio pietatis ejus est, sicut in psalmo orantes dicimus: *Deus virtutum, converte nos, respice de coelo et vide, et visita vineam istam* (Psal. 79, 15).

95. Oratur itaque omnipotens Deus, ut, placabilis ac propitius factus, sereno vultu, id est declarata bonitatis et pietatis suae praesentia, respiciat dignanter Ecclesiae suae munera, et accepta et beneplacita habeat, sicut munera pueri sui justi Abel, cujus fides

et justitia et oblationis acceptio et in lege veteri commendatur, ubi scriptum est: *Et respexit Deus ad Abel et ad munera ejus* (Gen. 4, 4); et in Evangelio: *A sanguine Abel justi* (Matth. 22, 35); et in Apostolo, ubi scribit: *Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus* (Hebr. 11, 4), qui non aetate, sed simplicitate et puritate, puer Dei appellatur. Sicut etiam de David, qui mortuus est senex, in Evangelio dicitur: *In domo David pueri sui* (Luc. 1, 69). Et *sicut sacrificium*, inquit, *patriarchae nostri Abrahae.* Utique quod sacrificium in oblationem unigeniti filii Isaac, offerens eum Deo holocaustum, (quod) ita acceptum fuit [1]), ut mereretur audire: *Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti rem hanc, et non pepercisti unigenito tuo propter me, benedicam tibi* (Gen. 22, 12), etc. Qui quidem patriarcha non tantum est israeliticae

---

[1]) Editi habent: „Utique quod sacrificium in oblationem unigeniti filii Isaac offerens cum Deo holocaustum, quod ita acceptum fuit, ut mereretur audire“ etc. Quae manifesto mendosa sunt, atque ita emendari debent: Utique quod sacrificium *in oblatione* unigeniti filii, offerens eum Deo holocaustum, ita acceptum fuit etc.

plebis secundum carnem, sed etiam nostrae secundum fidem.

96. Adjungitur adhuc: *Et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech*, de quo manifeste scriptum dicit: *Et Melchisedech rex Salem protulit panes et benedixit Abraham* (Gen. 14, 18), cujus sacerdotium et sacrificium tantum magnificatur, ut dicat de eo Apostolus: *Primum quidem Melchisedech, qui interpretatur rex justitiae, deinde rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem habens, assimilatus per omnia Filio Dei, qui manet sacerdos in aeternum* (Hebr. 6, 3). Quod vero post haec omnia subjungitur *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*, ad superiora referendum esse videtur, ubi dictum est: *Super quae propitio ac sereno vultu respicere digneris*, ut ad complendam petitionem subjunctum sit.

97. Hoc autem totum exoratur omnipotens Deus, ut sacrificium Ecclesiae ita acceptum habeat, ut sacrificium justi Abel et patriarchae Abrahae, et summi sacerdotis Melchisedech; quia et in illis antiquis sacrificiis imago erat hujus veri sacrificii, et hoc ipsum uni Deo auctori utriusque Testamenti et

utriusque sacrificii ordinatissima temporum dispositione tunc placebat in praefiguratione venturae veritatis, quod et nunc placet in adimpletione ejusdem veritatis. Nam et in sacrificio Abel, quod de primogenitis ovium et adipibus earum oblatum sacrificio Cain, quod ex terrae fructibus offerebatur, praelatum est, novi Testamenti fides praefigurabatur, qua innocentia gratiae Deum laudans, veteris Testamenti terreni operibus anteponitur, et in immolatione unici et dilecti filii Abrahae immolatio ejus praefigurabatur, de quo dicit Pater: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (Matth. 17, 5). Unde ait Apostolus: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (Rom. 8, 32). Et sacrificium Melchisedech tam vera erat significatio sacrificii Christi, ut inde praedictum sit: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* (Ps. 109, 4). Sequitur in mysterio:

98. *Supplices te rogamus, omnipotens Deus*, etc. Haec verba mysterii tam profunda, tam mira et stupenda quis comprehendere sufficiat? quis inde digne aliquid loquatur? magis veneranda sunt et pavenda quam discutienda. Beatus tamen Gregorius,

idoneus tanti mysterii interpres, in quodam loco aliquid de iis tamquam de re ineffabili pene ineffabiliter loquitur (l. 4. Dialog 58): „Quis enim fidelium, inquit, habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem coelos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terram coelestibus jungi, unum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri?“ Idem etiam doctor, quomodo accipiendum sit sublime altare Dei in conspectu divinae majestatis ejus, quodam loco subtiliter ostendit, exponens illum versiculum psalmi: *Constituite diem solemnem in confrequentationibus usque ad cornu altaris* (Psal. 117, 27). Dies, inquit, solemnis est Domino conjunctio cordis nostri; sed tunc in confrequentatione dies solemnis constituitur, cum in lacrymas pio amore ejus assidue mens movetur, cui velut si diceremus: Quamdiu ista acturi sumus? quamdiu tribulatione afficimur? illico terminum quousque fieri debeat subjunxit, dicens: *usque ad cornu altaris*; cornu quippe altaris est exaltatio sacrificii interioris, ubi cum venerimus, jam nulla necessitas est, ut solemnem diem Domino de nostra lamentatione faciamus.

99. Beatus quoque Augustinus de eodem

sublimi altari dicit, exponens versiculum psalmi: *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine* (Psal. 25, 6), sic breviter designat: Munda, inquit, faciam inter innocentes opera mea, quibus amplexabor sublimia tua. Item alio loco (in Psal. 51. n. 5) exponens illum versiculum: *Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat juventutum meam*, de eadem re sic dicit: „Est enim quoddam altare invisibile, ad quod non accedit injustus; ille solus accedit, qui ad istud securus accedit. Illic inveniet vitam suam, qui in isto discernit causam suam.... Quale ibi sacrificium est? ipse qui intrat assumetur in holocaustum.“ Et repetit aliis verbis, quid hoc altare sit, ad Dominum inquiens: *Ad Deum qui laetificat juventutem meam.* Item alibi idem doctor exponens eundem versiculum, quem et beatus Gregorius: „Sic enim est, inquit (in Ps. 117. n. 22), in domo illa sempiterna sacrificium laudis, et sacerdos sempiternus est et altare sempiternum, pacata mens ipsa justorum. Non ergo sufficiat in terra dies ille solemnis, quo Agnus occisus est, sed constituite illum in condensis sempiternum, alta et secreta rimantes, quo usque perveniatis, exaltatis a Deo mentibus vestris, usque ad ejus divini-

tatem.“ Et quid ibi aliud, nisi laudes cantabimus? quid ibi aliud dicemus, nisi *Deus meus es tu, et confitebor tibi; Deus meus es tu, et exaltabo te* (Ps. 117, 28)? Non strepitu verborum istud dicemus, sed dilectio inhaerens illi per se ipsam clamat istam vocem; dilectio ipsa vox est.

100. Haec de sublimi altare Dei in conspectu divinae majestatis ejus necessario in hoc loco ex sanctorum patrum verbis posita sunt, ut [1]) quis carnaliter cogitans, aestimet in coelis esse altare corporeum, ex coelesti sive supercoelesti corpore factum; sed potius, juxta sensum spiritalium patrum, intelligamus sublime altare Dei, rationabile et intelligibile esse in electa et rationali creatura, angelica videlicet et humana, quae in sanctis angelis, ex quo condita est, in sui contemplatione Conditoris sublimata, et sibi nimium per spiritum pacis unita, verum et sublime altare Dei exsistit, ex quo accipit Deus sempiternum sacrificium laudis et hostiam jubilationis, ad cujus altaris unitatem adjungitur nunc per fidem, et in futuro per divinae contemplationis speciem omnis mul-

---

[1]) *Ut* forte legendum *ne*, vel excidit particula negans *non*.

titudo hominum electorum. Sed quamdiu in ista mortalitate vivunt, antequam reipsa ingrediantur ad illud altare Dei, antequam perveniant usque ad cornu altaris [1]), ut orationibus et supplicationibus suis, tamquam in inferioribus adhuc positi, a supernis virtutibus juventur, ut earum interventione exaudiantur, et quasi de sublimitate altaris suscipiantur; sicut legimus, et Danieli oranti et deprecanti Gabrielem angelum apparuisse, eique dixisse: *Ab initio precum tuarum egressus est sermo, et ego veni propter sermones tuos, et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael archangelus princeps vester* (Dan. 9, 23). Et in Zacharia propheta legimus pro consolatione et liberatione populi Dei angelum deprecantem et dicentem: *Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est* (Zach. 2, 12). Et respondit Dominus angelo verba bona, verba consolatoria. Similiter et ad Tobiam Raphael angelus dicit: *Quando ora-*

---

[1]) Supple hic ad complendam periodum, *petunt*, vel *rogant* vel simile verbum deprecationem significans.

bas tu cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino, et nunc misit me Dominus, ut curarem te etc., (Tob. 12, 12).

101. Fit ergo et in ista oratione et oblatione sacra consecrationis aliquid incomprehensibile et ineffabile, et multo his omnibus mirabilius, ut per angelica ministeria et supplicationes tamquam de sublimi altari divinae majestatis conspectibus offerantur in illa immolationis hora [1]), cum adstantibus sibi ministris coelestibus Christus, ut proposita consecret, adesse credendus est; de qua re commodum videtur beati Ambrosii verba ponere de expositione Evangelii secundum Lucam (lib. 1. n. 28): „Non enim dubites, inquit, assistere angelum, quando Christus assistit, Christus immolatur. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus; unde non immerito etiam Zachariae deprecanti apparuit angelus a dextris altaris incensi, quia veri sacerdotis jam nunciabatur adventus et coeleste sacrificium parabatur, in quo angeli

---

[1]) *Offerantur in illa immolationis hora* scil haec quae in altari posita sunt, panis et vinum eucharisticum. Excidisse videtur copula *et* cum adstantibus etc., alioquin periodus est manca.

ministrarent.“ Sic ergo cogitanda sunt, ut aliquid quo nihil sit melius atque sublimius illa cogitatione conemur attingere.

102. Similiter quoque et illud, quod sequitur: *Ut omnes, quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione coelesti et gratia repleamur.* Ista enim munera, ista sunt dona super omnem gloriam constituta, quibus fideles suos omnipotens Deus reficiens, glorioso Filii sui corpore vivificat, sanctificat, aeternitati praeparat; per haec corda fidelium omni benedictione replet coelesti et gratia, tribuens corporibus castimoniam, mentibus fidem, cogitationibus puritatem. Per haec tuetur suos misericordia, confirmat spe, munit caritate, ut tanta Domini participatione intra se Deum suscipientes, templum ejus effici mereantur. Quid sit ergo per participationem corporis et sanguinis Filii Dei omni benedictione coelesti et gratia repleri, et quantum hoc bonum debeat esuriri ac sitiri, audiamus beatum Ambrosium dulciter docentem et exhortantem: „Christus Ecclesiae cibus, Christus est potus. Caro Dei cibus, et Dei sanguis est potus. Christus nobis quotidie ministratur. Cibus iste non corpus impinguat, sed confirmat

cor hominis. Hic est panis vitae: qui ergo vitam manducat mori non potest. Accedite ad eum et satiamini, quia panis est. Accedite ad eum et potate, quia fons est. Accedite ad eum et illuminamini, quia lux est. Accedite ad eum et liberamini, quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Accedite ad eum et absolvemini, quia remissio peccatorum est. Corpus Domini Jesu postulatio est divinae reconciliationis et protectionis aeternae. Accipe tibi munimentum, suscipe Dominum Jesum tuae mentis hospitio: ubi corpus ejus, ibi Jesus est. Cum hospitium tuum adversarius viderit occupatum coelestis fulgore prudentiae, intelliget locum tentamentis suis interclusum esse per Christum. Qui sit iste quaeris? Audi ipsum dicentem: *Ego sum panis vitae, qui venit ad me non esuriet; et qui credit in me non sitiet unquam* (Joan. 6, 35)." Sequitur in mysterio:

103. *Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei* etc., usque *lucis et pacis ut indulgeas deprecamur.* Orat pia mater Ecclesia etiam pro defunctis suis, et eos sacrae oblationis intercessione commendat, certissime credens, quia sanguis ille pretiosus, qui pro multis effusus est in re-

missionem peccatorum, non solum ad salutem viventium, sed etiam ad absolutionem valeat defunctorum, sicut beatus Joannes testatur dicens: *Et sanguis Filii ejus Jesu Christi emundat nos ab omni peccato* (1. Joan. 1, 7). Procedunt enim fideles de corpore exeuntes ad Dominum, sed non praeciduntur ab Ecclesia, quia praecedunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis: cum signo fidei, quia ex aqua et Spiritu sancto renati, quia Christi cruce et passione signati. Dormiunt autem tamquam vere in resurrectione suscitandi. Dormiunt ergo in somno pacis, quia ab unitate et societate Christi et Ecclesiae nec per haereses, nec per schismata, nec per mortalia crimina separati sunt: in quibus etsi aliquando fuerunt, tamen per poenitentiam sanati, et per orationem Ecclesiae reconciliati, et remissionis mysterio sociati, utique in pace obierunt, miserante illo, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

104. Neque enim piorum animae mortuorum separantur ab Ecclesia, alioquin nec ad altare fieret eorum memoria in commemoratione corporis Christi, nec aliquid prodesset, ad ejus baptismum in periculis currere, ne sine illo finiatur in hac vita; nec ad

reconciliationem, si forte per pravam vel malam conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est. Cur enim ista fiunt, nisi quia fideles etiam defuncti membra sunt ejus? Quamvis ergo nondum cum suis corporibus, jam tamen animae regnant cum Christo. Unde et in Apocalypsi legitur: *Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos* (Apoc. 14, 13); et ipse est verus sabbatismus fidelium, id est requies, de qua dicit Apostolus: *Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei* (Hebr. 4, 9). Qui enim ingressus est in requiem ejus, requievit ab operibus suis, quemadmodum et a suis Deus. Regnat itaque cum Christo nunc Ecclesia in vivis et mortuis. Propterea enim, sicut dicit Apostolus: *Mortuus est Christus, ut et vivorum et mortuorum dominetur* (Rom. 14, 9). Unde et alibi ait: *Quoniam non posuit nos Deus ad iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis, ut, sive vigilemus, sive dormiamus, cum illo vivamus* (1. Thess. 5, 9). In quibus verbis vigilantes, viventes, dormientes, mortuos intelligi voluit, sicut iterum dicit: *Sive ergo*

vivamus, sive moriamur, Domini sumus (Rom. 14, 8).

105. Nam „luce clarius constat [1]), quia perfectorum justorum animae, mox ut hujus carnis claustra exeunt, in coelestibus sedibus recipiuntur, quod et ipsa Veritas attestatur dicens: *Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae* (Matth. 24, 28), quia ubi ipse Redemptor noster est corpore, illic procul dubio colligentur et animae justorum. Et Paulus dissolvi desiderat et cum Christo esse. Qui ergo Christum in coelo esse non dubitat, nec Pauli animam in coelo esse neget, qui etiam dissolutione sui corporis atque inhabitatione patriae coelestis dicit: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem habemus ex Deo domum non manu factam aeternam in coelis* (2. Cor. 5, 5).“

106. Verum hoc de apostolis, martyribus, confessoribus ceterisque viris fieri notandum est. Nam sunt quorundam justorum animae, quae coelesti regno, licet in beata requie, quibusdam adhuc mansionibus differuntur [2]),

---

[1]) Haec sunt Gregorii M. *ex dial.* l. 4. c. 2.

[2]) Haec non sunt probanda, si hae mansiones di-

in quo dilationis damno ostenditur, quod de perfecta justitia aliquid minus habuerunt. At vero nonnulli propter bona fidei opera ad electorum sortem praeordinati, sed propter mala aliqua, quibus de corpore exierunt, post mortem sereno (f. *serio*) castigandi recipiuntur flammis ignis purgatorii, et vel usque ad diem judicii longa examinatione a vitiorum sorde mundantur, vel certe prius amicorum fidelium precibus, eleemosynis, jejuniis, fletibus et hostiae salutaris oblationibus, poenis absoluti, et ipsi ad beatorum perveniunt requiem. Illis ergo eorum sacrae victimae mortuis prosunt, qui hic vivendo obtinuerunt, ut eos etiam post mortem bona adjuvent, quae hic pro ipsis ab aliis fiunt. Inter haec autem pensandum est, quod *tutior via sit*, ut bonum, quod quisque post mortem sperat agi per alios, agat dum vivit ipse pro se. Bea-

---

stinguantur a purgatorio, cujus mox fit mentio, et si supponantur horum justorum animae, quae coeleste regnum nondum sunt consecutae, jam mundae a peccati macula vel quovis poenae debito. Quare probabiliter hisce mansionibus designare voluit ultimam veluti purgatorii stationem; neque enim improbabile est, gradatim minui purgatorii poenas, adeo ut in ultima statione animae sola privatione visionis beatificae puniantur.

tius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quaerere.

107. Propter illa ergo verba, quibus dicitur, *qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis*, usus fuit antiquorum, sicut etiam romana agit Ecclesia, ut statim recitarentur ex diptychis, id est tabulis, nomina defunctorum, atque ita post lectionem nominum subjungerentur verba sequentia: *Ipsis et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas deprecamur.* Ipsis videlicet, quorum nomina memorantur, et ceteris omnibus in Christo quiescentibus *locum refrigerii*, ubi non sentiunt ardores poenarum; *et lucis*, de qua psalmista: *Ut placeam coram Deo in lumine viventium* (Psal. 55, 14); *et pacis*, de qua justus Simeon: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace* (Luc. 2, 29); et in qua sanctorum martyrum animae quiescunt, dicente Scriptura: *Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace* (Sap. 3, 2. 3).

108. Hanc autem piam et religiosam observantiam, quam ex apostolica sine dubio traditione susceptam universa in mundo uniformiter et celebriter tenet Ecclesia, etiam

veteris Testamenti Scriptura et consuetudo a patribus custodita diligentissime commendat. Legimus namque in Machabaeorum libris, quod vir fortissimus et pontifex Judas, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum, qui in bello ceciderant, considerans quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam; ubi et hoc in laudibus fidei ejus adjungitur, quia et sancta et salubri cogitatione pro defunctis exorabat, ut a peccato solverentur (2. Mach. 12, 43. ss.). Sequitur in mysterio:

109. *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis* etc., usque *Per Christum Dominum nostrum*. Commendatio pro spiritibus defunctorum per oblationem pietatis, ut in beatis electorum sedibus mereantur obtinere locum refrigerii, lucis et pacis. Consequenter oratur omnipotens Deus, ut etiam ceteros fideles, qui superstites sunt et vivunt, id est sacerdotes et populum, per virtutem et gratiam ejus Deus venerabilis sacramenti auxilio ad eandem beatitudinem perducat. Totius namque Ecclesiae vox est, id est sacerdotum et plebium cum humilitate et contritione cordis dicentium Deo: *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis*: quia, licet omni

tempore peccatores nos esse ex corde cognoscere debeamus, tamen maxime hoc attentius agendum et confitendum est, cum in illo sacro mysterio celebratur remissionis gratia, indulgentia peccatorum; et cum humilitate et contritione cordis dicendum Deo: *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis*, quia, sicut scriptum est, *etsi peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam* (Sap. 15, 2), non de ullis nostris meritis, sed *de multitudine miserationum tuarum sperantibus*, corde in psalmo cantamus: *Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam* (Psal. 50, 3).

110. Recordanda namque sunt in hoc loco, et diligenter inculcanda verba Apostoli, dicentis: *Omnis namque sacerdos ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: qui condolere possit his, qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro se offerre pro peccatis* (Hebr. 5, 1). Ad quod beatus Gregorius in quodam loco exhortans dicit: „Sed necesse est ut, cum haec agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus; quia qui passionis

dominicae mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc enim vere pro nobis Deo hostia erit, cum nos ipsos hostiam fecerit.“ Oratur itaque omnipotens Deus, ut non solum defunctis, quorum supra commemoratio facta est, sed etiam nobis peccatoribus, de multitudine miserationum suarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare dignetur cum suis sanctis apostolis et martyribus et omnibus sanctis pro modulo nostro; (ut) quibus nunc sociamur per communionem fidei, cum ipsis etiam societatem vitae et beatitudinis aeternae in futuro accipiamus. Intra quorum nos consortium ut nos Dei pietas introducat petimus; ut nobis non nostri meriti aestimator, sed veniae sit largitor; ut, quia sanctorum societati per meritum jungi non possumus, per indulgentiam conjungamur. Si enim aestimemur et divino judicio ponderemur, nullus ad apostolorum et martyrum societatem assurget. In fine autem hujus orationis, sicut et in ceteris praecedentibus subjungitur: *Per Christum Dominum nostrum*, et statim conclusio totius consecrationis sequitur dicendo:

111. *Per quem omnia semper bona creas* etc. Per ipsum enim omnipotens Deus haec bona omnia, quae sacris altaribus con-

secrantur, non solum in exordio mundi creavit, condendo quod non erat; per eundem unigenitum Verbum suum dixit et factum est: *Germinet terra herbam virentem et afferentem semen, lignumque pomiferum faciens fructum* (Gen. 1, 11): in qua creatione utique et herba frumenti et lignum vini exortum est; sed etiam semper eadem bona creat propagando et reparando, ut per annos singulos et novae segetes et nova vina nascantur. De hac namque operatione regendae, propagandae et reparandae creaturae, ipse unigenitus Filius in Evangelio dicit ad judaeos indignantes quod in sabbato curaret: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (Joan. 5, 17), tamquam diceret: Non sex tantum diebus primis, ut putatis, Pater operatus est, sed usque modo operatur, non novum creaturae genus instituendo, sed quae in principio creaverat, ne deficiant, propagando. *Et ego*, inquit, *operor*, subauditur usque modo, cum eo cuncta disponens, regens, accumulans. In quibus verbis aequalem se Deo Patri manifestissime praedicavit: quia quorum una eademque operatio, procul dubio aequalis est et majestas. Per ipsum enim, ut dictum est, Deus Pater haec omnia bona semper creat, et creata ac suis conspe-

ctibus oblata sanctificat, ut quae erant simplex creatura, fiant sacramenta; sicque sanctificando vivificat, ut sint mysteria vitae, ut sumatur in eis vita, ut vitalem substantiam accipientibus subministrent. Sanctificando autem et vivificando ineffabiliter benedicit, quia ea omni benedictione coelesti et gratia accumulat. Ita vero sanctificata, et vivificata, et benedicta praestat nobis per eundem secum pariter sacrificantem, vivificantem et benedicentem, qui nobis de corpore et sanguine suo dedit tam salubrem refectionem. „Manducent ergo qui manducant, et bibant qui bibunt, esuriant et sitiant, vitam manducent, vitam bibant. Illud manducare reficiest. Sed sic reficeris, ut non deficiat unde reficeris. Illud bibere quid est, nisi vivere? Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, et integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est vita unicuique erit corpus et sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur [1]).“

112. Per ipsum ergo, ut dictum est, Deus Pater haec omnia bona sanctificando et vivificando ineffabiliter benedicit, quia ea omni

---

[1]) Verba sunt Augustini ex *serm.* 131. n. 1.

benedictione coelesti et gratia accumulat et praeparat nobis. *Per ipsum et cum ipso et in ipso est Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria.* *Per ipsum* scilicet, tamquam per verum mediatorem Dei et hominum; *cum ipso*, tamquam coaequali; *in ipso*, tamquam vere consubstantiali. *Omnis* vero *honor et gloria* est Deo Patri per Filium, et cum Filio, et in Filio in unitate Spiritus sancti, qui ex Patre Filioque procedens, unitatem deitatis possidet cum Patre et Filio, atque ideo simul adoratur et conglorificatur. Insinuatur in Patre auctoritas, in Filio nativitas, in Spiritu sancto Patris Filiique communitas, in tribus aequalitas per omnia secula seculorum.

113. Hoc est quod beatus Judas apostolus in fine epistolae suae velut distincte designanter exponit, dicens: *Soli Deo Salvatori nostro per Dominum nostrum Jesum Christum gloria, magnificentia, imperium et potestas ante omne seculum, et nunc et in omnia secula seculorum* (v. 25). Coepit enim seculum, id est temporalis mutabilitas a conditione creaturae; currunt secula praesentia, mutabilium rerum cursu labentia; succedent vero secula futura, incommutabili rerum statu aeternaliter permanentia. Ve-

rum quia haec omnia in aeterna Dei sapientia sine ullo omnino initio vel mutabilitate fixa sunt: quia, ut in Evangelio legimus [1]), *quod factum est in ipso vita erat* (Joan. 1, 3), bene intelliguntur ita dici secula seculorum, tamquam secula in sapientia Dei inconcussa stabilitate manentia istorum, quae cum tempore transeunt, efficientia seculorum. Aut certe simpliciter accipienda sunt secula seculorum, vel ut consequentia praecedentium, vel ut continuata sibi commixtione copulentur, quae appellantur secula seculorum, donec totum praesens [2]) seculum, quod ex diversorum temporum seculis contexerunt, perveniat ad finem, et succedat futurum seculum, quod non habet finem, ubi Deus videbitur et laudabitur sine fine. *Amen*

---

[1]) Modo in vulgata alia obtinet interpunctio, adeo ut *factum est* spectet ad praecedens membrum: *Et sine ipso factum est nihil* scil. *quod factum est;* verbis autem *in ipso vita erat*, nova incipiat periodus. Interpunctio, qua utitur auctor noster, reperitur jam apud scriptores primorum trium seculorum plerosque reliquos, et in codd. latinis vetustissimis. Ea acriter impugnatur a Chrysostomo, sed immerito, praeclarum enim sensum prae se fert, ut ostendit Augustinus tr. 1. *in Joan.* n. 16.

[2]) *Praesens.* Editi habent *potens* manifesto mendose; opponitur enim seculum praesens *futuro.*

autem quod ab omni Ecclesia respondetur, interpretatur verum, non ubicunque et quomodocunque, sed mystica religione. Hoc ergo ad tanti mysterii consecrationem, sicut et in omni legitima oratione respondent fideles, et respondendo subscribunt. Adjungit autem adhuc sacerdos et dicit: *Oremus*:

114. *Praeceptis salutaribus moniti* etc. Dignum profecto fuit, ut tota haec tam sacrosancta actio dominica oratione concluderetur [1]), et petitiones fidelium, quas vel propter praesentem vitam nos Dominus docuit, per eandem passionis ejus commemorationem efficacius commendarentur. Admonetur ergo tota Ecclesia, et dicitur a sacerdote *Oremus*, et orat Ecclesia cum sacerdote, non voce, sed corde: labia clausa sunt, sed patet conscientia; silentium est, clamat pectus, sed auribus ille audit qui miseretur. Nam et Susanna, dum damnaretur ab injustis judicibus, tacebat et orabat: os ejus non audiebatur ab hominibus, cor ejus clamabat ad

---

[1]) Ita Augustinus serm. 227. *ad infantes* dicit: „Ecce ubi est peracta sanctificatio, dicimus orationem dominicam, quam accepistis et reddidistis. Post ipsam dicitur *Pax vobis*, et osculantur se christiani in osculo sancto.“

Deum. Numquid quia vox ejus ore corporis non processit, propterea exaudiri non meruit? Exaudita est illa, sed quando oravit, nemo hominum scivit. Orat ergo sacerdos simul cum Ecclesia, conversus ad Dominum, et dicit: *Praeceptis salutaribus moniti* etc. Hoc itaque nobis super omnia salutare est, quod nobis tantam gratiam per Unigenitum suum contulit Deus Pater, ut tantam bonitatem cogitantes et amantes, sic agamus, ut non jam filii seculi, sed Dei simus. Praeceptis ergo salutaribus jussi et divina institutione formati, non praesumptionis temeritate, sed obedientiae pietate praesumimus dicere Deo:

115. *Pater noster, qui es in coelis* etc. Orationem dicimus dominicam ad nostram proficientem salutem, qua nos unigenitus Filius per lavacrum regenerationis et spiritum adoptionis, Dei filios esse dicere monuit, dicere jussit; et non humana, sed divina institutione ipse nobis orandi formam tribuit, ut Deo audeamus dicere [1]): *Pater*

---

[1]) Quatuor s. Augustini sermones habemus *ad competentes* de oratione dominica scil. 56. 57. 58. et 59. duosque inter supposititios 64. et 65., in quibus doctrina hic exposita fusius tractatur.

noster, qui es in coelis. Credimus vero ubique esse Deum et divinitatis praesentiam, sed non ubique per habitationis gratiam. Propter hanc ergo inhabitationem, ubi gratia ejus dilectionis agnoscitur, non dicimus: Pater noster, qui es ubique, cum et hoc verum sit; sed *Pater noster, qui es in coelis*, ut templum ejus potius in oratione commemoremus, quod et nos nosse debemus. Et in quantum sumus, in tantum ad ejus societatem et adoptionis familiam pertinemus. Nec se Filius in hac oratione praetermisit, sed in Patris unitate conjunxit, qui et in Patre se orari jussit. Cum enim Patrem rogas, Filii nomen imploras.

116. *Sanctificetur nomen tuum.* Non quod optemus Deo, ut sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus a Deo, ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Ceterum a quo Deus sanctificatur qui ipse sanctificat? sed ipse dicit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum* (Levit. 11, 44). Hoc petimus et rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse coepimus perseveremus. Admonemur etiam desiderare, ut nomen ejus, quod semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur, hoc est non contemnatur; quod non Deo, sed hominibus prodest.

117. *Adveniat regnum tuum.* Hac petitione desiderium nostrum ad futurum regnum excitamus, ut nobis veniat, atque in eo regnare mereamur; id est ut veniat et nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus sanctis, id est, ut regnum ejus mereamur agnoscere.

118. *Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra.* Non ut Deus faciat quod non vult, sed ut facere possimus quod Deus vult, ut sicut angeli sancti, ita et nos faciamus ejus voluntatem. Possumus etiam per coelum et terram intelligere spiritum et carnem: quoniam spiritus e coelo, caro e terra esse cognoscitur. Sed spiritus coelestia quaerit, caro terrena concupiscit, et ideo petimus, ut voluntatem Dei his duobus concordantibus faciamus. Potest et sic intelligi, ut pro infidelibus, qui sunt adhuc in terra, orare intelligantur fideles, qui fidei dono coeli nuncupantur; ut circa illos voluntas Dei fiat, ad ipsum convertendo; ut terra imitetur coelum, et homo angelum, infidelis fidelem. Ac per hoc oramus et petimus, ut precem pro omnium salute faciamus.

119. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Qua petitione nostra sufficientiam quotidiani victus petimus; nomine pa-

nis totum significantes, quoniam panis graece (et) latine dicitur totum id sacramentum fidelium, quod in hoc quoque tempore necessarium est non tamen ad hujus temporis, sed ad illam aeternam felicitatem assequendam. Nam panis vitae Christus est, quem dari nobis quotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus et eucharistiam quotidie sumimus, intercedente aliquo graviori delicto, a Christi corpore separemur, ipso dicente: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi; si quis ex hoc pane ederit, vivet in aeternum* (Joan. 6, 41). Sicut ergo manifestum est eos vivere, qui corpus ejus vere et digne accipiunt, ita contra timendum est, ne qui separantur a Christi corpore, perpetua pereant morte, criminante Christo: *Nisi comederitis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Ibid. 54). Et ideo panem nostrum, id est Christum quotidie nobis dari petimus, ut qui in eo manemus et vivimus, a sanctificatione ejus et corpore non recedamus, sine quo vivere in aeternum non valemus.

120. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Hic admonemur quid petamus et quid faciamus, ut accipere mereamur. Post subsidium

cibi, petitur et venia delicti, ut qui a Deo pascitur, in Deo vivat. Admonemur enim quod peccatores sumus, quia pro peccatis nostris rogare compellimur, ne quis sibi quasi innocens placeat. Instituitur et docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Addidit Deus plane legem, certa nos conditione et sponsione constringens, ut sic nobis dimitti debita postulemus, secundum quod ipsi debitoribus dimittimus: scientes impetrare non posse veniam, quam pro peccatis nostris petimus, nisi et ipsi circa debitores nostros paria fecerimus, dicente Evangelio: *In qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis* (Luc. 6, 38). Et alio loco: *Cum statis ad orationem, remittite, si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester, qui in coelis est, remittat vobis peccata vestra* (Marc. 11, 35). Excusatio denique tibi in die judicii nulla superest, cum secundum tuam sententiam judicaris, et quod feceris aliis, hoc et ipse patieris. Similiter quod fecimus ceteris, faciet nobis, dicens in Evangelio: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, et Pater vester coelestis dimittet vobis peccata vestra: si non remiseritis, nec Deus dimittet vobis delicta vestra* (Matth. 6, 14).

121. *Et ne nos inducas in tentationem.* Petimus ne deserti ejus adjutorio, alicui pravae tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti. Qua in parte ostenditur nihil contra nos adversarium posse, nisi Deus ante permiserit, et idcirco postulamus, ut ejus adjutorio fulti, ita maneamus vincti, ut ab hoste maligno non subjiciamur tentati:

122. *Sed libera nos a malo.* Hic admonemur cogitare nondum nos esse in eo bono, in quo nullum patiamur malum. Quae petitio ita late patet, ut homo christianus, in qualibet tentatione et tribulatione constitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat. Et quando dicimus: *Libera nos a malo,* nihil remanet quod ultra adhuc debeamus postulare, quando semel protectionem Dei adversus mala petimus. *Amen* signaculum dominicae orationis, quod interpretatur *vere* sive *fideliter*, attestatio est veritatis, quod ex Apostoli traditione etiam ad ceteras orationes consuete respondet Ecclesia, sicut Apostolus ad Corinthios scribit, dicens: *Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotae, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem, quoniam quidem nescit quid dicas* (1. Cor. 14, 16)? Ex quo ostenditur,

non posse ideo tam respondere verum esse quod dicitur, nisi ante intellexerit. Post orationem dominicam, quam ad completionem perfecti mysterii tota ad Deum fundit Ecclesia, sequitur in conclusione ejusdem orationis sacerdos et dicit:

123. *Libera nos, quaesumus Domine, ab omnibus malis* etc. In quibus verbis mala praeterita, a quibus petimus liberari, peccata nostra transacta intelligenda sunt; quorum etsi actio jam cessavit in nobis, tamen reatus manet, nisi divina indulgentia deleatur. Unde admonet Scriptura divina, dicens: *Fili, peccasti, ne adjicias iterum; sed et de praeteritis deprecare, ut tibi dimittantur* (Eccli. 20, 1). Mala vero praesentia, quia quotidie peccamus, necesse habemus dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Possunt et quotidiana peccata nostra in animo, et accidentes saepe diversis languores et afflictiones in corpore exstrinsecus irruentes, innumerae calamitates, ut fames, pestilentia, gladius et cetera hujusmodi [1]), quae omnia, quotiescunque patimur, ejus debemus implorare auxilium, qui solus sua pietate et animas curat et corpora. Et novit

[1]) Supple, *intelligi.*

quando filiis suis, quos ad aeternam hereditatem praeparat, et flagellum correptionis et dulcedinem consolationis adhibeat. Futura enim mala quid aliud intelligenda, nisi quaecunque nobis accidere possunt saluti et paci contraria, sive per tentationes diaboli, sive per adversitates et miserias seculi? Et maxime illa sunt, pro quibus effugiendis praecipue orare debemus, ut liberemur a ventura damnatione aeterna, quae sine dubio malis constat esse futura. Orat ergo sacerdos, imo tota Ecclesia cum sacerdote, ut quod in fine orationis dominicae dictum est: *Sed libera nos a malo*, ita nobis per Dei misericordiam praestetur, ut liberemur ab omnibus malis, id est quae nobis vel in praeterito acciderunt, vel in praesenti accidunt, vel in futuro accidere posse formidantur. Unde et Dominus, sciens fragilitatem nostram in tantis periculis constitutam, misericorditer admonet, dicens: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem* (Matth. 26, 41). Et iterum: *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt, et stare ante Filium hominis* (Luc. 21, 35). Sequitur sacerdos et dicit:

124. *Et intercedente pro nobis beata et gloriosa* etc. Dominus populo israelitico,

cum detineretur in babylonica servitute captivus, dicens inter alia per Jeremiam prophetam: *Et orate pro pace civitatis, ad quam transmigrare vos feci, quia in pace ipsius erit pax vobis* (Jer. 29, 7), similiter et Apostolus populum Ecclesiae exhortatur dicens: *Volo igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et his, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate* (1. Tim. 2, 1). Juxta hanc ergo formam per prophetam et Apostolum divinitus constitutam, populus fidelium in hujus seculi peregrinatione, tamquam in Babylone captivus et supernae patriae suspirans, orat etiam pro pace temporali, ne impediatur a pace spiritali et aeterna, ut, remotis per Dei pietatem persecutionibus, seditionibus, hostilitatibus, quietam et tranquillam vitam agat Ecclesia in omni pace. Et hoc orat generali observantia sine intermissione in omni dominica oblatione, in qua juxta praeceptum apostolicum obsecrationes suas, et orationes, et postulationes, et gratiarum actiones offert Deo. Hoc autem, paucissimis sed eminentissimis sanctis nominatis, a Deo exorat, videlicet ut intercedente

in primis Dei Genitrice, per quam humano generi salus exorta est, et beatis apostolis Petro et Paulo atque Andrea, impetrare mereatur. In qua postulatione non ceterorum sanctorum intercessio praetermittitur, sed in istorum commemoratione omnium suffragia expetuntur, quia, ut omnes sibi in Deo sociati et uniti exsistunt, ita omnes unum desiderant et rogant pro salute hominum, et ut in uno omnes pariter habeantur, et in uno omnes pariter negligantur. Non enim amant sancti suos electores, si suorum sociorum eos invenerint desertores, magisque offensurus est, quisquis ita agendum putat, eos ad quos se contulerit, quam eos a quibus abstulerit. Unitate enim gaudent et in Christo unum sunt.

125. Quod ergo dicit Ecclesia: *Da propitius pacem in diebus nostris*, manifeste juxta exemplum, quod in Isaia legitur, hoc facit. Cum enim praedixisset idem propheta Ezechiae regi nostro venturae captivitatis mala, compunctus respondit: *Bonum verbum Domini quod locutus est; fiat tantum pax et veritas in diebus meis* (Isa. 29, 8), videlicet futura humiliter Dei judicio reservans, de praesenti vero quod ad suam et populi sui salutem pertinebat, deprecans:

Fiat, inquit, *pax et veritas in diebus meis*: pax, ne regni tranquillitas ab hostibus turbaretur; veritas vero, ut in ipsa pace Dei cultus, religionis veritas, servaretur. Unde et Apostolus ubi haec orari praecepit, utrumque simul posuit: *Ut quietam*, inquit, *et tranquillam vitam agamus in omni pietate*. Nam et quies et tranquillitas pertinet ad pacem, pietas ad divini cultus religionem. Ita ergo et Ecclesia deprecatur pacem fieri in diebus nostris, quod et post nos alii, et post ipsos alii usque ad consummationem seculi utique similiter orabunt.

126. Cum autem ipsam pacem postulet, subjungit videlicet *ut ope*, id est auxilio et protectione *misericordiae Dei adjuti*, quantum ad interiorem religionis devotionem pertinet, *simus semper a peccatis liberi*; quantum vero ad interiorem pacem, simus etiam *ab omni perturbatione securi*. Nam pax in qua non divinae religioni, sed mundanae cupiditati servitur, non est justorum, sed iniquorum, de qualibus Psalmista ait: *Quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns* (Psal. 72, 3). Sequitur quod et in ista et in omnibus fere orationibus ecclesiasticis in conclusione subjungi solet:

127. *Per Dominum nostrum Jesum*

Christum Filium etc. Quod utique certa ratione, ut saepe dictum est, „catholica concelebrat Ecclesia [1]), propter illud utique sacramentum, quod mediator Dei et hominum factus est et homo Christus Jesus, sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, qui per proprium sanguinem semel introivit in sancta, non utique manufacta... sed in ipsum coelum, ubi est in dextera Dei, et interpellat pro nobis.... Per ipsum ergo hostiam laudis atque orationis offerimus, qui per ejus mortem reconciliati sumus, cum inimici essemus.... Christus namque in forma Dei permanens unigenitus Deus, cui cum Patre hostias offerimus, formam servi accipiens, sacerdos factus est, per quem hostiam vivam, sanctam, Deo placentem offerre possimus. Nec tamen hostia a nobis offerri potuisset, si Christus pro nobis factus hostia non fuisset.... Cum vero dicimus *Filium tuum* et adjicimus: *Qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti*, illam utique unitatem commemoramus, quam naturaliter habet Pater et Filius et Spiritus sanctus. Ubi ostenditur, quod idem ipse Chri-

---

[1]) Haec desumpta sunt ex ep. 14. s. Fulgentii *ad Ferrandum* n. 36—38.

stus pro nobis sacerdotali est functus officio, cui naturalis est unitas cum Patre et Spiritu sancto.... Cum vero *in unitate Spiritus sancti* dicimus, unam naturam Spiritus sancti cum Patre Filioque monstramus. Unitas autem naturae, quid aliud quam Trinitatem esse unum Deum, et ex hoc unum ostendit et regnum?... Ubi autem regni naturalis est unitas, una regnandi permanet et potestas.“ Vivit ergo et regnat Christus Dominus noster cum Patre in unitate Spiritus sancti per omnia secula seculorum, sicut ipse in Apocalypsi loquitur, dicens: *Ego sum primus et novissimus; et vivus fui, et mortuus; et ecce sum vivens in secula seculorum* (Apoc. 1, 17). Ipsi namque dicitur in Psalmo: *Thronus tuus, Deus, in seculum seculi.* Et iterum: *Regnum tuum, regnum omnium seculorum* (Psal. 144, 13). De quo et in Evangelio ad beatam Mariam angelus dicit: *Et regni ejus non erit finis* (Luc. 1, 33).

128. Hac oratione expleta, commiscens sacerdos dominicam oblationem, ut calix Domini totam plenitudinem contineat sacramenti, tamquam per ejusdem mysterii copulationem imprecatur Ecclesiae pacem, dicens: *Pax Domini sit semper vobiscum*, cui tan-

tum bonum Ecclesia imprecatur respondens: *Et cum spiritu tuo.* Quid est autem pax Domini, nisi pax Christi? Pax autem Christi finem temporis non habet, et ipsa est omnis piae actionis intentionisque perfectio. Propter hanc pacem in eum credimus et speramus, et amore ipsius, quantum donat, accendimur: propter hanc denique omnem tribulationem fortiter toleramus, ut in ea feliciter sine tribulatione regnemus. Vera enim pax unitatem facit, quoniam qui adhaeret Domino unus spiritus est. Imprecata igitur pace, incipiens a sacerdote, dat sibi mutuo omnis Ecclesia osculum pacis, ut, omnibus vera pace unitis, fiat in eis locus Dei, sicut dicitur in psalmo: *Et factus est in pace locus ejus* (Psal. 75, 13); et impleatur in Ecclesia quod alibi Psalmista dicens: *Deus in loco sancto suo*, *Deus inhabitare facit unanimes in domo* (Psal. 67, 17). Et hoc utique ex traditione apostolica servat Ecclesia, cui frequenter ab ejusdem apostolis dicitur: *Salutate invicem in osculo sancto* (Rom. 16, 16), id est osculo vero, osculo pacifico, osculo columbino, non ficto et subdolo, quali usus est Joab ad occidendum Amasiam, quali Judas ad tradendum Salvatorem, quali utuntur hi, qui loquuntur pa-

cem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Illi ergo osculo sancto salutant invicem, qui non diligunt verbis nec lingua, sed opere et veritate.

129. Inter haec omnia cantatur ab omnibus, et cantando oratur dicentibus: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi* etc. Nullus enim tollit peccata, nisi ille, de quo dictum est: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, cui nullum bonum hominis impossibile, nullum malum est insanabile. Quomodo autem apostolus Petrus ostendit, qui ait: *Non corruptibilibus argento et auro redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni incontaminati et immaculati Christi* (1. Petr. 1, 18); et in Apocalypsi Joannes apostolus: *Qui dilexit nos*, inquit, *et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* (Apoc. 1, 5), quando sanguinem suum dedit pro nobis in cruce, vel quando quisque nostrum in mysterio sacrosanctae passionis illius baptismi aquis ablutus est, verum etiam tollit peccata mundi lavatque nos a peccatis nostris quotidianis in sanguine suo, cum ejusdem beatae passionis ad altare memoria replicatur.

130. Post haec ergo sumpta eucharistia,

id est bona gratia, gratia enim Dei pro omnibus gustavit mortem, et celebrata gratiarum actione, respondetur ab omnibus *Amen.* Haec est enim clara vox sanguinis Christi, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum.

131. Finitis vero omnibus, adstanti et observanti populo absolutio datur, inclamante diacono: *Ite, missa est.* Missa ergo nihil aliud intelligitur, quam dimissio, id est absolutio, quam celebratis omnibus tunc diaconus esse pronunciat, cum populus a solemni observatione dimittitur. Unde et missam catechumenorum canones dicunt, quando post Evangelii lectionem incipiunt celebrari sacra mysteria, quibus nullum, nisi baptismi fonte regeneratum, interesse licet. Tunc enim, clamante diacono, iidem catechumeni mittebantur, id est dimittebantur foras. Missa ergo catechumenorum fiebat ante actionem sacramentorum: missa fidelium fit post confectionem et participationem.

VEN. HILDEBDRTI

BREVIS TRACTATUS

DE

SACRAMENTO ALTARIS[1]).

---

1. Quis capiat intellectus, qualiter caro Christi quotidie de coelis ad nos in altare, et ab altari in nos venit, nec tamen coelos

---

[1]) Cum finem imponere volebamus huic tomulo, incidimus in hoc opusculum ven. Hildeberti, in quo modo scholastico, sed egregie prorsus de eucharistia agit. Noluimus illud praetermittere, ut magis magisque appareat, quam perspicue et scite ante protestantium innovationes doctrina catholica a majoribus nostris tradita fuerit. Porro natus est Hildebertus Laverdini in agro vindocino a. 1057. Scholae cenomanensi praeficitur ab Hoello episcopo et ab eodem archidiaconus 1092. eligitur. Hoello defuncto in ejus locum succedit a. 1097. et a. 1124. jussu Honorii II. translatus est ad turonensem metropolim († 1134). Magnae doctrinae et sanctitatis erat vir et libertatis Ecclesiae acerrimus defensor.

deserit, unde venit? Ut enim a coelis prius venit ad nos Christi divinitas, sic et nunc inde venit ad nos ejus humanitas; utque e coelis venit divinitate, nec tamen discessit inde, sic et nunc e coelis venit humanitate, quae tamen semper ibidem persistit. Et sicut divinitas venit per humanitatem, ita et humanitas inde venit per divinitatem. Deus tum per humanitatem suam manifeste, et homo nunc per suam deitatem occulte. Tunc Deus sensibiliter, nunc homo insensibiliter. Tunc Deus humane, et nunc homo divine. Nec homo solum in spiritu suo, sed et in carne sua, nec sine divinitate sua, sed cum sua, et in sua, et ex sua divinitate, et ideo totum geritur divine. Quid enim divinius, quam quod Christi corpus, cum caro sit et non spiritus, cibus tamen est non carnis et corporis, sed spiritus et mentis? Cibus quidem interioris hominis est, nec tamen humanus, sed divinus spiritualiter et divine in spiritum vadens, non se in spiritum convertens, sed spiritum spiritualiter et divine pascens, spiritualiter intrans, spiritualiter operans. Via spirituali a coelis adveniens, via spirituali ad coelum rediens.

2. Quod corpus cum apud nos est, et in coelis est; apud nos quoque diversis in locis,

in altaribus diversis, tempore non diverso. Nec per partes divisum, sed in altaribus singulis totum et integrum; nec alterum et alterum, sed numero unum. Nec phantasticum, sed verum, nec solum in sacramento, sed in semetipso [1]). Ipsum enim uno tantum est

---

[1]) *Nec solum in sacramento, sed in semetipso* scil. non adest tantum figura, signum corporis Christi, ut contendunt umbratici i. e. berengariani et sacramentarii, sed ipsum corpus. *Modo virtuali* i. e. non solum per aliquam virtutem, ut volunt calviniani, sed adest ipsa corporis substantia non naturaliter, sed, ut mox explicat, *virtute* divina. *Modo spirituali*, non ad exclusionem praesentiae realis, quam tam clare profitetur, sed ad modum spiritus et per virtutem spiritus increati, divinitatis, cui est corpus illud unitum.

Quam clare autem Hildebertus professus sit dogma catholicum de reali corporis Christi praesentia deque transubstantiatione liquet ex innumeris aliis ejusdem testimoniis, quorum hic aliqua speciminis gratia adducemus. Serm. 38. *in coena Domini:* „Nec dubitare debemus, inquit, quin panis per sacra verba benedictionis sacerdotis in verum Domini corpus immutetur, ita ut panis substantia non remaneat, sed colorem et saporem panis voluit (Christus) remanere, et sub illa specie veram corporis Christi substantiam latere, ne si in ea qualitate, in qua revera est, appareret, verum hominem animus hominis abhorreret.“ Quod ita metrice expressit in l. *de eucharistia* § 11:

Nec modus aut species panis sunt inspicienda,
Imo sacramenti virtus est corde tenenda.

loco modo naturali, pluribus autem in locis modo virtuali. In uno per naturam, in pluribus per gratiam et virtutem divinam. In uno corporali modo, in pluribus modo spirituali. Non enim corporis est ut in pluri-

---

Sed neque de vino quisquam nisi prospera speret;
Nam menti sanguis, vinum conspectibus haeret,
Quod quamvis vini videatur habere saporem,
Subveniente fide, sacrum liquet esse cruorem.
Hic est ille cruor, qui Christi vulnere fusus,
Ore sacerdotis animarum transit in usus.

Et §. 1. ita habet:

Panis in altari verbi virtute sacratus,
Fit divina caro nostri medicina reatus.
Fit caro non alia quam Christi nos redimentis
Plena sacramento, cibus et vegetatio mentis.
Haec caro quotidie, quamvis caro non videatur,
Panis habens speciem, pro mundo sacrificatur.
Haeret rerum natura, stupet ordo sacratum
De modico panis quondam de virgine natum:
Horret quod verbum caro factum fit caro rursum;
Quod naturalem mutat res concita cursum,
Et tamen est eadem caro tunc de virgine nata,
Et caro nunc verbo vitae de pane sacrata.
Propter nos homines dignatus tunc homo nasci;
Nunc pius ille suo nos optat corpore pasci.
Et effectus homo nos ut lapsos relevaret;
Est ideo vitae panis datus, ut satiaret.
Quid datus a coelo vitae panis valuisset,
Si redimendus homo patiendo fame perisset?
Non igitur nasci satis est de corpore Christum,
Si suus esuriens homo non incorporet istum.

bus locis simul esse possit, sed spiritus, nec spiritus fortasse alterius nisi divini, id est increati et incircumscripti; non etiam spiritus creati, et ideo circumscripti.

3. Evenit autem quiddam simile, licet per contrarium in spiritu divino, vel si potius dicendum est, in spiritu Deo. Quemadmodum enim corpus hoc a Deo assumptum et corpus Dei effectum, et ideo quodammodo deificatum atque divinum in uno subsistens loco corporaliter et naturaliter, in pluribus tamen est spiritualiter atque virtualiter, sic et contra ipse Deus, quamvis in locis plurimis, imo in omnibus sit spiritualiter et essentialiter, secundum modum tamen aliquem exsistendi, id est personaliter in uno tantum est loco, in ipso videlicet homine assumpto per gratiam divinae plenitudinis, ut ait Apostolus (Coloss. 2, 9), habitans corporaliter, quod corporis est assumens, et quod suum est corpori tribuens, non mutans, sed socians. Non enim sic intelligendum est spiritum summum alicubi habitare corporaliter, vel corpus suum [summum] esse alicubi spiritualiter, quasi vel spiritus alicubi fiat corpus, vel corpus alicubi fiat spiritus; sed quia quod spiritus ille incircumscriptus alicubi juxta quendam modum

exsistendi, id est per unionem personae habitat circumscribiliter, id est ita (est) ibi, ut nusquam sit alibi, hoc fit ad corpus, cujus modus natura est circumscribi. Quod autem corpus hoc simul totum est in locis pluribus, fit ad modum spiritus. Quod ergo dictum corporaliter et spiritualiter, non naturas significat subsistentium, sed subsistendi modos. Non enim propter naturam Dei inhabitantis, sed propter inhabitandi modum ait Apostolus in Christo esse omnem plenitudinem divinitatis corporaliter.

4. Corpus vero Christi non solum ad spiritus modum simul totum est in diversis locis, id est in altaribus multis, sed et in singulis quoque nonnullatenus spiritualem quemdam habet existendi modum. Quamvis enim ubique pro corporis varietate ipsum in se ipso sit sensibile, nobis tamen in altari praesens juxta speciem suam exsistit insensibile. Unde ipsum et *sensibiliter* dici potest esse ibi, et *insensibiliter*. *Sensibiliter* quidem, propter veram corporis sensibilitatem et propter sacramenti formam sensibus subjectam; *insensibiliter* vero quantum ad speciem et sensus nostri perceptionem. Non enim ita ibi est, ut ibi in specie sua infirmis nostris sensibus percipi possit. Est igitur

secundum aliquid ibi corporaliter propter veram corporis naturam et sacramenti, ut dictum est, formam, et propter quendam exsistendi modum; secundum aliquid vero incorporaliter, quantum videlicet ad actum sentiendi et modum quendam exsistendi. Quod enim sic est in altari, quod vere dici potest, quia in hac parte altaris est, et in illa parte non est. In ea enim est, in qua sacramentum est ipsius, et in illa non est, in qua ejus sacramentum non est, in hoc ad modum corporis in loco circumscribiliter est. Quod vero non sic est in hoc altari, quin eodem tempore, et modo eodem totum sit alibi, id est in alio quolibet altari, in hoc incircumscribiliter exsistit, atque in hanc (hoc) communem corporum naturam et subsistendi modum longe transcendit. Nec solum forsitan corporum, sed et spirituum quoque creatorum in hoc non parum excedit naturam, et subsistendi vincit potentiam.

5. Non ergo in modum subsistendi, quem habet corpus hoc, non ex natura, nec secundum naturam, investiges naturam [1]), sed

---

[1]) *Naturam.* Haec vox vel abundat vel dicere voluit: Non ergo in naturam *modi* subsistendi investiges.

virtutem magis attendas divinam. Non consulas quid soleat et possit facere creata et minus potens natura, sed potius cogites quidnam possit [non post se] [1]) gratia et virtus divina, quae increata et omnipotens est natura, natura innata, unde est omnis tam natura quam potentia. Non igitur hominis ratio solita solitam sequi naturam, circa hoc insolitum atque divinum solitas suas afferat vel recipiat quaestiunculas. Non enim hic habent locum investigationes de illis, quae adjacent, modis exsistendi in loco naturalibus, non autem virtualibus [naturaliter, non autem virtualiter]. Hi siquidem illos longe excedunt, et ab illis procul distantes sunt.

6. Non ergo quidquam hic quaerere (quod alias quaerit) praesumat sensus, cum [f. cur] corpus Domini scilicet sit in altari, vel in illo quae ipsius pars, in quo non sit loco. Quae corporis pars sub qua sit sacramenti parte, vel quomodo partes sint dispositae. Quae sursum, quae deorsum, quae dextrorsum, quae sinistrorsum, quae ante, et quae retro, et utrum majorem locum occupet pars corporis major, et minorem minor, cum sin-

[1]) Videntur haec verba ab amanuensi inutiliter inserta.

gulis sub sacramenti partibus non sint corporis partes singulae, sed aeque sub singulis, ut sub universis partes universae; id est non sub una parte unum membrum, et sub altera alterum, sed sub unaquaque singula, corpus integrum et immensum [1]). Ideo enim et sacramento per partes diviso, non tamen corpus in partes scinditur, ut et ipsum divisim et per partes sumatur, sed sub partibus divisis et in partibus singulis a singulis percipientibus ipsum percipitur totum atque indivisum.

7. Nulla etiam inferat ratio, quia si corpus hoc totum est alicubi, non est totum alibi, vel si hoc corpore minor est locus, non capit corpus hoc quod ipso est majus. Vera siquidem sunt haec non solum in corporibus aliis, sed et circa corpus hoc juxta modum exsistendi, qui comitatur naturam, non autem circa eum, qui virtutem sequitur divinam. Quemadmodum verum est, si qua peperit, cum viro concubuit, verum autem circa pariendi vel concipiendi modum, quem novit natura, non autem verum circa modum, quem naturae non insertum supra na-

[1]) *Immensum* i. e. mensurae non subjectum, quia supra loci et spatii conditiones evectum.

turam penes se habet auctor et institutor naturae. Ut autem virtus Dei et immensa valde transgreditur communem naturae modum, ita et sensum, praecipue vero humanum corruptum atque infirmum, nec in ullo quidem effectu virtutis divinae, aeque ut in dominici corporis et sanguinis sacramento, deficere videtur vis rationis humanae. In aliis fortasse aliquid potest, hic vero quid? Numquid ei capabile est, qualiter substantia panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Domini conversa, non tamen conversa sunt pariter, sed manent immutata, sine panis et sine vini substantia, tam panis quam vini accidentia? Quomodo accidentia sine subjecto, vel haec accidentia in quo nata sint sine subjecto [1])?

8. Via in istis est ignota rationi, sed non penitus ignota fidei. Ratio hic totum ignorat, sed fides praesumit quod ratio non capit. Ex rationis defectu proficit fides. Novit fides per gratiam, quod ratio per nullam scire potest experientiam. Quo autem hic

---

[1]) *Quomodo* etc. Quomodo scil. in genere accidentia esse possint sine subjecto et in specie haec accidentia panis et vini esse possint sino ille subjecto, e quo veluti enata sunt et dimanant.

ratio infirmior, eo fides fortior. Quo ratio hic minus vel nihil operatur, eo fides plus vel totum operans amplius meretur. Libenter igitur ratio hic succumbat, ut fidei meritum accrescat. Non invideat fidei merito, quia quod fides meretur, non meretur sibi ipsi, sed potius rationi. Fides enim evacuabitur, (*supple* ratio) permanebit et merito fidei promovebitur. Fides nonnisi in via, ratio autem erit et in patria, et ibi plena. Fides seminat, sed ratio metet. Pro merito fidei ratio remunerabitur, quia ad meritum quodammodo cooperatur, et non nihil, imo multum meretur. Meritum enim rationis est, quia se simplicitati non praefert fidei; non nititur praecedere, sed sequi. Quod si hoc non potest, non tamen contradicit, non innititur suae virtuti, sed gratiae Dei. Cedit gratiae, palmam concedit fidei; dat gloriam Deo confitens ipsum potest (f. posse) facere, quod ipsa non potest capere. Potissimum vero circa hoc sacramentum suum experitur et agnovit defectum omnimodo, nisi quia vel hoc videt esse rationabile, ut in Dei secretis homini ad credendum traditis, quod penetrari non potest ratione, non tamen excidat a fide.

INDEX.

		Pag.
Prologus Gregorii bergomensis		1
Caput I.	Quod Deus immensus sit, et quod nunc ex parte tantum agnoscimus	3
Caput II.	De eo quod dictum est: *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis*	8
Caput III.	De eo quod dicitur: *Hoc facite in meam commemorationem*	12
Caput IV.	De eo quod dicitur: *Christus resurgens a mortuis jam non moritur*	15
Caput V.	De eo quod dicitur: *Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam* . .	19
Caput VI.	De eo quod dicitur: *Etsi noveramus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus*	22
Caput VII.	De eo quod Ambrosius ait: „Sicut enim similitudinem mortis Christi sumpsisti, ita etiam similitudinem sacri sanguinis bibis“	27

Pag.

Caput VIII. De verbis s. Augustini in tractatu Psalmorum 31
Caput IX. De sententia eiusdem in libro *de doctrina christiana* (lib. 3. c. 15) 36
Caput X. De specie et ceteris significativis nominibus 39
Caput XI. De mysterio, sacramento atque figura 43
Caput XII. De distantia sacramentorum utriusque Testamenti, et de sacrificio Melchisedech . . . 49
Caput XIII. De sacramento baptismatis ac sacramento partus virginalis 53
Caput XIV. Quae sint Ecclesiae sacramenta, et quae in singulis ratio observanda est 58
Caput XV. De sacramento baptismi et sacramento chrismatis quomodo intelligantur 60
Caput XVI. De re cujus sacramentum est baptismus 64
Caput XVII. De eo sacramento quod est chrisma, et de re cujus est sacramentum 67
Caput XVIII. De sacramento quod est corpus Christi, et de ea re cujus est sacramentum 72
Caput XIX. De eodem, et quod in singulis sacramentis verum et mysticum sit 78
Caput XX. De eodem sacramento . . . 82
Caput XXI. De virtute sacramenti eucharistialis 85

Pag.

Caput XXII. Professio fidei catholicae de sacrosancta eucharistia . . . 86
Caput XXIII. Testimonium de Evangelio apud Paulum: *Accipite et comedite: hoc est corpus meum, et hic est* etc. 91
Caput XXIV. Ex dictis s. Andreae apostoli 97
Caput XXV. Ex libris b. Gregorii papae . 99
Caput XXVI. Ex dictis Leonis papae . . 101
Caput XXVII. Ex libris b. Ambrosii archiepiscopi 102
Caput XXVIII. Testimonia ex libris b. Augustini episcopi 107
Caput XXIX. De auctoritate Ecclesiae, et quis haereticus habendus sit 112
Caput XXX. Cur in dominica mensa etiam post consecrationem species panis maneat immutata . . 113
Caput XXXI. De corporali ac spirituali comestione corporis et sanguinis Domini Salvatoris 116
Caput XXXII. Responsio ad eos, qui insultando inepta quaedam atque blasphema quaerere solent de Christi corpore 120
Flori diaconi opusc. de expositione missae . 124
Hildeberti cenomanensis opusc. de sacramento altaris 274

O. A. M. D. G.